This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

IIF
109
.P8
H75

SPECIMEN ANTIQUARIO-LITERARIUM,

DE

ERANIS VETERUM GRAECORUM,

INPRIMIS

EX **Jure Attico,**

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

CASPARI GEORGII CAROLI REINWARDT,

PHIL. ET MED. DOCT., IN FACULTATE PHYSICO-MATHEMATICA PROF. ORDIN.

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

JOANNES JACOBUS VAN HOLST,

JUR. UTR. DOCT.

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XXX JUNII MDCCCXXXII, HORA II—III.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD J. C. CYFVEER.
MDCCCXXXII.

Typis J. G. la Lau.

VIRIS AMPLISSIMIS NOBILISSIMIS

ADRIANO VAN HOLST,

AGGERUM RHENOLANDIAE PRAEFECTO,

CET. CET.

PATRUO OPTIMO CARISSIMO,

PATRIS INSTAR COLENDO,

ET

JANO GYSBERTO DE MEY,

J. U. D., DOMINO IN STREEFKERK, ORDINIS LEONIS NEERLANDICI EQUITI, ORDINIBUS PROVINCIALIBUS HOLLANDIAE ADSCRIPTO, URBIS LEIDENSIS CONSULI, ET ACADEMIAE, QUAE IBI EST, CURATORI, CET. CET.

OPTIME DE SE MERITO,

hoc pietatis, gratique animi specimen

D. D. D.

AUCTOR.

Feb. 27, '07. M. A. 5.

Reclaimed Nov. 23. 26 40.

299239

PRAEFATIO.

Longa et ambitiosa praefatione morari Te, Benevole Lector, nec consilium est, nec juvat animum. Hanc tamen in limine hujus opusculi solam mihi legem dixi, ut quid de materia alii exposuerint, candide tecum communicarem. Post praeclarum *in Theophrasti Characteres* ab ISAACO CASAUBONO, anno MDXCII, editum *Commentarium*, ubi C. XV. p. 168. sqq. in vocem ἔρανος docte, ut in omnia, commentatus erat; Viri continuò exstiterunt Doctissimi, CLAUDIUS SALMASIUS et DESIDERIUS HERALDUS, de *Eranis* acriter disputantes; cujus certaminis originem et progressum paucis adumbrare liceat. Prodiit nimirum anno MDCXXXVIII Lugd. Bat. Salmasii Liber *de Usuris*, ubi Cap. 3. suas de *Eranis* observationes cum erudito orbe communicavit; in quibus igitur observationibus cum nonnulla reprehendisset

Heraldus in *Observationum et Emendationum* Libris 43, 44, 45. Lut. Paris. anno MDCXL (1); sua vindicare conatus est Salmasius in *Miscellis defensionibus et Observationibus ad Jus Atticum et Romanum* Cap. 1, 2 et 3. Lugd. Bat. anno MDCXLV; verum respondit satis acerbe Heraldus totamque eam rem dilucidare conatus est in Libro VI. *Animadversionum in Salmasii Observationes ad Jus Atticum et Romanum*, quae antequam ederentur diem obiit supremum anno MDCXLIX. Filius ejus Isaäcus Heraldus, anno sequente, eas cum *Quaestionum quotidianarum tractatu* Lut. Paris. in lucem emisit. Erant omnino Desiderii Heraldi harum Observationum Libri septem, quorum quidem postremus, (ut hoc obiter animadvertam, quo magis de Viri doctrinae laude celeberrimi Salmasio obtrectandi studio constet) omni genere invectivarum est refertus (2). Haec de certamine dicta sunto. Hisce, ut alios mittam, utiliter addi potest S. PETITI *Commentarius ad Leges Atticas* p. 524. sqq., ubi WESSELINGIUS in notis alia praeclare anim-

(1) Hi libri recusi sunt in Ev. Ottonis Thesauro Juris, Tom. II. p. 1366. sqq. (2) Conf. Ev. Otto in Praefatione Thesauri Juris, Tom. II. p. XIX.

advertit, alia egregie emendavit, ipsumque Petitum ab erroribus, quos Salmasius jam in eo reprehenderat, castigavit. Ego vero, in re aliorum dissensionibus ambigua, neque ordine illa disposita, neque omnibus numeris absoluta, numquid operae pretium fecerim, judicent alii.

Mihi porro de *Eranis* acturo, Graecum nomen quo minus in titulo hujus libelli Latine redderem, auctor fuit PLINIUS SECUNDUS, Bithyniae ille Praefectus, qui, quum Latini rem ignorarent, neque propriam huic rei vocem haberent, in Epistola quadam ad Trajanum super eranis Amisenorum, utpote Graecae civitatis incolarum, Graecam quoque vocem retinuit (1).

Hic praefandi finem facere poteram, nisi pium et jucundum mihi superesset officium, grata praeteritorum beneficiorum recordatio, gratique animi testificatio. Praeceptoribus igitur, quorum, cum in alma hac Musarum sede degerem, disciplina cum publica, tum privata uti, tum vero etiam auxiliis et favore frui mihi contigerit; Vobis, inquam, Viri Clarissimi, gratias publice ago quam possum maximas. Tua inprimis, Vir Cl., BAKI,

(1) Vid. Plinii Epistol. X. 93 et 94.

Promotor aestumatissime, hisce quoque temporibus de me merita quin celebrem, facere nequeo. Tibi enim Collegaeque Tuo PEERLKAMPIO, Viro Clarissimo, si quid in Graecis Latinisque Scriptoribus interpretandis valeo, id omne me debere sentio atque profiteor. Nec Te silebo, BERGMANNE, Vir Doctissime, qui primus mihi verum Literarum amorem instillasti, mihique, quo majore cum voluptate et utilitate Academicis scholis interessem, auctor adjutorque fuisti. Tibi quoque, nec minus Viro Clarissimo GEELIO, pro librorum copia, quos mihi ex Bibliotheca Leidensi, pro ea, qua estis humanitate, inspiciendos legendosque concessistis, gratum refero animum. Vos omnes denique, Viri Clarissimi et Doctissimi, Praeceptores Fautoresque, Deus O. M. servet diu incolumes, Patriae et Academiae luci et decori: mihique favere pergatis, ut fecistis, animus sperat et optat!

Scripsi Lugduni-Batavorum ante diem VI. Kalendas Quintiles MDCCCXXXII.

INTRODUCTIO.

VOCIS ETYMOLOGIA ET VARIA SIGNIFICATIO.

Materiam de Eranis cognoscere cupientibus operam non ingratam me praestiturum spero, si rem, quoad ejus fieri potest, altissime repetivero. Quo facto, haud dubitaverim, quin, si non certam vocis ἐράνου originem, eam saltem, quae ad veritatem quam proxime accedat, cognitam habeamus. Qua in re ut tuto progrediamur, non minima est adhibenda cura, ne, dum vocis originem perspectam habere nobis videamur, de recto tramite deflectamus longissime. Est enim ea Graecae linguae, si cujusvis alius, indoles, ut vocum sive productarum, sive compositarum significatio non possit cognosci, nisi ad simpliciores earum formas, velut communes, unde descendant, stirpes adscendamus, non eas tantum, quae recentissimae sunt, quasque vulgaris linguae usus celebrat, verum etiam antiquissimas illas atque obsoletas, quarum vestigia adhuc apud Homerum aliosque veteres poëtas supersunt. Quid exempla memorem? Plura qui desideret, adeat ille Lennepium et Scheidium *de Analogia linguae Graecae*, et videat simul, quam incassum illi saepissime in vocis etymo venditando susceperint laborem, ita ut voces nonnullas, quae ex alieno solo in Graeciam sint translatae, ex Graeca quadam stirpe ductas voluerint, Scholiastas, credo, hac in re secuti aucto-

res; quin etiam hoc opus si perspexerimus, et quandam nobis cum eo contraxerimus familiaritatem, reperiemus eos affinitatem Graecae linguae cum Orientalibus linguis statuere, sed ita quidem, ut in vitium inciderint contrarium. Utrumque quam periculosum sit, quid est, quod moneamus?

Ne quis tamen ideo putet, me hujusmodi etymologiam improbatam velle: tantum enim abest, ut nonnunquam audaciores hac in re esse longe praestet, quam inveniendi periculum citius quam par est missum facere: unde sequeretur ut vocum originem, ad quarum stirpem difficilior esset accessus, ex Graeca lingua exterminatam putaremus. Quo denique fieret, ut cujusdam linguae vetustati fides sine ulla ratione prorsus denegaretur. Obsoletarum igitur stirpium ratio habenda cum sit, in vocis *ἐράνου* significatione exponenda nil intentatum relinquamus. Quare ad propositum accedamus, ita ut vox *ἔρανος* etymologice, quid sit, et unde originem ducat, intelligi possit.

Hac de re quum alii aliter judicent, videndum est, quomodo illa suffragia possint componi. Sed quum mihi literarum rudiori sententiam ferre non datum sit, dicam tamen, si quid videro, quod sentiam.

§. 1.

Vox *ἔρανος*, teste Etymologo M. (1), ita exponitur: *ἀπὸ τοῦ συνερᾶν καὶ ἐπιθυμεῖν καὶ συνεισφέρειν τι τοῖς φίλοις καὶ εὐωχεῖσθαι. Ἀπὸ τοῦ ἐρῶ, τὸ ἐπιθυμῶ ὁ μέλλων, ἐράσω ἐξ αὐτοῦ ἔρανος* est enim, ut ait H. Stephanus (2), illorum, qui *ἐρῶσι καὶ ἐπιθυμοῦσι*

(1) In v. *Ἔρανος*. (2) In Thes. Linguae Graecae. v. *Ἔρανος*, edit. Angl.

συνεισφέρειν τι τοῖς φίλοις. Athenaeus et Eustathius (1) faciunt cum Etymologo: multa illi quidem afferunt, parum tamen inde proficimus, cum vocis etymon adhuc in obscuro lateat; magis enim illa vocis expositio ad significationem ejus tradendam, quam ad originem indicandam pertinet. Lennepius vero in Etymol. Linguae Graecae (2) sic ratiocinatur: ἔρανος est vox derivata ab ἔρος, quod idem significat ac ἔρως *amor*, inde ἔρανος *ad amicitiam pertinens*. Breviter ille rem expedit, non tamen ita, ut nobis haec argumentatio plane satisfaciat. Alii vocem ἔρανον ab ἐρᾶν deductam volunt, inculcantes verbum ἐρᾶν non significare *amare*, sed *fundere*. Sic H. Stephanus (3) et Anutius Foësius (4) vocem deducunt ab ἔρα *terra*, quasi ἐρᾶν dictum sit pro *in terram fundere*, ut affirmat Salmasius (5), ita ut ἔρανος, vox inde translata, ex ejus sententia, sit *fusio* (6). Hinc ἔρανον vocat *pecuniam collatitiam*. Neque aliam viam ingressus est vir Cl. Tib. Hem-

(1) In Schol. ad Hom. Odyss. A. 226., ubi ex Athenaeo (L. VIII. p. 362. E.) descripsit ἐράνους esse (κατὰ τοὺς πολλοὺς) τὰς ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγὰς, ἀπὸ τοῦ συνερᾶσθαι (συνερᾶν) καὶ συμφέρειν ἕκαστον. Quare hic Eustathius loco τοῦ συνερᾶν scripserit συνερᾶσθαι, non habeo, quod dicam: equidem dubito an recte, nec placuit haec lectio Stephano (l. l.). Salmasius quoque activae significationis meminit, de Usuris, C. 3. p. 53. (2) In v. Ἔρανος. (3) In Thes. L. Gr. v. Ἔρανος, edit. l. (4) In Lexico Hippocratico. Cf. Aristoph. Schol. ad Acharn. p. 783. ad v. 345. edit. Dindorf. (5) Miscell. defens. C. 2. p. 45. Hinc compositae ἐνερᾶν *infundere*, κατερᾶν *defundere*, ἐξερᾶν *effundere*. l. l. p. 44. Conf. Salmas. de Usuris C. 3. p. 50., Gatak. Advers. posth. p. 855 sqq. et Grammatici ibi laudati; Casaubonus ad Athenaeum (p. 396.) verbo συνερᾶν *amoris mutui* notionem tribuit. (6) De Usuris, C. 3. p. 51; Miscell. defens. C. 2. p. 45. Sic JCti *fusionem* pro *collatione*. fr. 27. D. de usufr.

sterhusius (1), huic Salmasii sententiae assensum praebens. Quid mirum? Est enim adeo antiqua illa vox, ut in nova quadam origine tradenda plurimum reperiatur periculi. Quare Hemsterhusium veterum vestigiis insistere maluisse crediderim, quam novam vocis originem audacter statuere. Sed quum Lennepius jam auctor exstiterit, ut vox ἔρανος ab ἔρως deduci posset, me facile addico ejus sententiae. At, si quid video, res paulo altius est repetenda: namque ἔρως, sive ἔρος (vetus forma apud Homerum obvia), unde Lennepius ἔρανος ortum voluit, ut significaret *ad amicitiam pertinens*, proprie originem ducit ab εἴρω, *necto*, *sero*, cujus vetus forma est ἔρω; hinc ἐράω, *amo*, quod verbum quum nihil aliud nisi mutata sive producta forma τοῦ ἔρω sit, in usum abiisse crediderim, ut eo exprimeretur ἔρω τὴν φιλίαν, sive hujusmodi quid; ac si *amare* dictum sit pro *nectere*, *serere amicitiam*. Haec est mea sententia, alii meliora viderint.

§. 2.

Hesychius ait ἐράσαι significare κενοῦν (2); unde Salmasius verbum ἐράν sive ἐράσαι idem esse dicit, quod *profundere*, *expendere* (3). Si ita rem expediunt interpretes, dicunt aliquid, verum illud aliquid nihil est; nullam enim argumentationis sive conjecturae afferunt rationem, ita ut non satis firmo ea mihi videatur niti fundamento. Gatakerus tamen de voce abunde disserit, Hippocrati non minimam

(1) In Dictatis ad Hom. Odyss. A. 226, ubi haec annotavit: » ἔρανος proprie significat *coenam collatitiam*, ad quam quisque » convivarum suam partem confert: ab ἐράω *fundo*, unde » ἐξεράω *effundo*, itidemque *vomendo effundo*: hinc ἔρανος » translatum fuit et significavit *pecuniam collatitiam*, quae ero» gabatur in homines egenos et indigentes." (2) In v. Ἐράσαι. (3) Miscell. defens. C. 3. p. 78.; Gatak. l. l.

tribuens auctoritatem, dicenti in libro IV. de Morbis: *καὶ ἐξερᾷ καὶ πυρεταίνει, et vomit et febricitat* (1). Forsan hinc interpretibus in mentem venit ἐρᾶν sive ἐράσαι significare κενοῦν sive κενῶσαι, ita ut verbum non ab ἔρως, sed ab ἔρα *terra* ortum voluerint (2); uti supra animadvertimus. Salmasius tamen jam observaverat κενῶσαι esse *de suo aliquid dare et largiri* (3), non satis ille animadvertens quomodo antiqui vocem usurpaverint. Nobis quidem facile fieri posse videtur, ut omnis haec Etymologia ex Hesychio depromta frustra quaesita sit. Quid enim, si pro κενοῦν legamus κοινοῦν, *in commune conferre:* quale quid in erani notionem cadere, mox verbo ostendere conabor.

§. 3.

Ad vocis significationem quod attinet, vidimus ἔρανον dictum ἀπὸ τοῦ συμφέρειν sive συνεισφέρειν κ. τ. λ.; praecedit illa praepositio σὺν, ut intelligatur conferendi actio a pluribus simul, sive, quod ajunt, *in commune* fieri solita; quem conferendi morem, cum in eo omne consumatur scribendi consilium, infra latius exponemus. εἰσφέρειν, verbum *eranis* proprium, de tributis, quae pendunt homines, adeo tritum est, ut de ejus significatione vix sit, quod moneamus: inde oritur εἰσφορά, id quod confertur, *illationem*, *tributum*, *pensionem* appellari liceat. Athenaeus ἐράνους exponit εἰσαγωγάς; jam quaerendum est, quid sit εἰσαγωγή? Nihil aliud, si quid video, nisi εἰσφορά. Suidas enim vocem ἔρανον eandem

(1) V. Gatak. l. l. p. 854. et quos ibi citat auctores.
(2) V. Lexic. Hippocr. modo l.; Aristoph. Schol. in Acharn. p. 783. Dindorf. ἐξεράσατε, ἀντὶ τοῦ ἐκκενώσατε..... πεποίηται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῆς ἐρᾶς, τουτέστι τῆς γῆς.
(3) Miscell. defens. C. 3. p. 63.

habere vult ac εἰσφορὰ (1); licet caeteroquin, si rem ad vivum resecare velimus, ἄγειν et φέρειν in eo differant, quod ἄγειν de rebus animatis, φέρειν vero de rebus inanimatis dici soleat; quae tamen distinctio praecipue observatur si haec verba concurrunt, ut v. gr. apud Herodot. I. 88.: εἰσάγειν contra pro εἰσφέρειν dici docet Hesychius (2), unde confici potest, substantiva composita εἰσαγωγὴ et εἰσφορὰ, utpote ex verbis synonymis orta, nullam hujusmodi pati distinctionem. Plura addere possim, quae tamen, quum nimis a consilio deducerent, omitto.

§, 4.

Sed redeamus ad Etymologum M. Verbis ἀπὸ τοῦ συνερᾶν addit καὶ ἐπιθυμεῖν συνεισφέρειν (3) τι τοῖς φίλοις καὶ ἐνωχεῖσθαι: conferunt nimirum ut summa cum hilaritate aliquando simul esse possint, et una convivari. Hinc Athenaeus exponit ἐράνους (quatenus sunt εἰσφοραὶ) esse τὰς ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγὰς (4), illationes nimirum eorum, qui certo

(1) Suid. in V. cf. Etymol. M. ἔρανος. εἰσφορά. — Vox εἰσφορὰ etiam latiori sensu pro *tributis publicis* sumitur. Sic Desid. Heraldus in observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 2. distinguit inter εἰσφορὰς et ἐπιδόσεις, quasi hae *spontaneae* sint *collationes*, εἰσφοραὶ vero *indictae tributiones*. Vid. Libanius, Declam. X., ubi tributa tempore bellorum imperata, dicuntur εἰσφοραί. At illae ἐπιδόσεις tantum erant spontaneae respectu quantitatis, quam quisque daret, cum saepissime urgente necessitate a populo flagitarentur: discrimen observat Isaeus de Dicaeogen. hered. p. 110. Tom. VII. R. εἰσφορῶν τοίνυν τοσούτων γενομένων ..... κληθεὶς ὑπὸ ἑτέρου (Reisk. προκληθεὶς ὑφ' ἑτέρου, quod malim) ἐπέδωκεν ..... οὐκ εἰσήνεγκεν. Sed totus locus est legendus. — εἰσφοραὶ denique erant, ut plurimum, *divitum pensiones*. (2) In v. Εἰσάγειν. Cf. Salmas. de Usuris C. 3. p. 53. — Sic Apollodorus L. II. c. 4. 1. 2. ἔρανον συνάγειν. (3) Budaeus συνερᾶν καὶ συμφέρειν synonyma facit. V. Comm. L. Gr. p. 354. add. Salmas. l. l. p. 54. (4) L. VIII. 362. E.

proposito in unum conveniunt: ita enim verbum *συμβάλλεσθαι* mihi videtur accipiendum; non vero, ut putant nonnulli, quasi sit participium passivum *τοῦ συμβάλλειν* significans *res collatas*; *συμβάλλεσθαι* itaque nostro loco est verbum medium, et significat *colligere se*, *conjicere se in multitudinem*, uti ex praep. *σὺν* facile videre est; hinc *simul* sive *in unum locum convenire* (1). Prolatam hanc sententiam ut tuear, pro *ἀπὸ τῶν* legendum censuerim *ὑπὸ τῶν*. Caeterum accepimus quidem *ἔρανον* significare *ἐκ συμβολῆς δεῖπνον*, ut ait Hesychius, sive simpliciter *συμβολήν*, ut habet Pollux (L. VIII. s. 157.); ubi *συμβολὴ* sensu collectivo est *summa collata*, quod pluralem numerum non accipit, nisi intelligatur de *variis portionibus collatis*: si igitur *ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων* idem statueremus ac *ἐκ συμβολῶν*, non exposuisset Athenaeus *ἐράνους* esse *εἰσαγωγὰς*, sed potius *ἐράνους· δεῖπνα*. Ratio infra fiet manifesta. Minus recte tamen Salmasius accepit *συμβολὴν* esse *conventum* (2).

§. 5.

Etymologus porro vocem *ἔρανον* exponit ita: *ἔρανος· τὸ ἐκ συνεισφορᾶς δῶρον, ἢ ἐντολή, ἢ συλλογή, ἢ εἰσφορά*. Quas voces antequam singulatim perpendamus, prius est, ut vocem *ἐντολὴ* aliquanto accuratius pervestigemus, cum de vera lectione dubitent interpretes.

Stephanus (3) vocem *ἐντολὴ* alienam sedem occupasse censet. Kusterus ad Suidam (4) notavit vocem *ἐντολὴ* male reddi *mandatum*, putatque pro

(1) V. Salmas. de Usur. C. 3. p. 53.; Gatak. Advers. posth. p. 855. — Sic Boeckhius in Corpore Inscript. P. II. p. 170. *ἔρανον* vocat *σύνοδον*. (2) Loco laud. (3) In Thes. L. Gr. v. Ἔρανος. (4) In v. Ἔρανος.

ea scribendum *ἐμπολὴ*; quod tamen, an recte ceperit, dubito; videtur enim vox non esse mutanda: Nam *ἐντέλλεσθαι*, quod idem est ac *ἐπιτέλλεσθαι*, significat *jubere*, *imperare*. Sic saepius occurrit *imperare* (tributa). Dicitur igitur *ἐντολὴ*, *id quod imperatur* (tributum), tanquam causa efficiens, unde *εἰσφορὰ* est effectus. Etiamsi igitur significatio *συντελεία*, quam Pollux (l. l.) *ἔρανον* explicans protulit, aeque ac *ἐντολὴ* synonyma sit vocì *ἔρανος*; nemini tamen dubium superesse crediderim, quin vox *συντελεία* oriatur a verbo *συντελεῖν*, quod exquisite significat *tributa*, *vectigalia pendere*. Quae notio item cadit in simplex *τελεῖν*.

Vidimus etiam *ἔρανον* esse *ἐκ συνεισφορᾶς δῶρον*, vel secundum Hesychium simpliciter *δῶρον*, neque injuria, cum illud accipiatur non de quovis dono, sed de iis praesertim donis, quae ex collecta pecunia fiunt. Hinc Suidas *ἔρανα· ἐκ συλλογῆς δῶρα*. sive, ut habet Etymologus, simpliciter *συλλογὴ*, collective sumta, ut sit *tota res collecta*; est autem proprie illa colligendi actio: oritur enim a *συλλέγειν colligere*. Sed haec spectant unum tantum erani genus, quod in amicum egenum erogari solebat: — de quo infra videbimus. Quemadmodum igitur *συμβολὴ* sensu collectivo est *tota collatio*, ita *συλλογὴ tota collectio* esse intelligitur; adeoque *δῶρον* respondet *τῷ συλλογῇ*, tanquam effectus causae.

§. 6.

Habemus igitur omnes vocis significationes, unde etymologice, quid sit *ἔρανος*, quodammodo potest illustrari. Quocirca non opus esse arbitror, ut quid quisque veterum Grammaticorum de voce deinceps exposuerit, eodem ordine persequamur, cum haecce mihi, ut clariorem nobis erani formemus notionem, sufficere videantur. Hoc tamen animadverti

velim voces ἔρανα (pl.) et ἔρανιον, apud illos Grammaticos (1) obvias, semper eandem vim habere ac si inveniatur ἔρανος, quod ad *collationem* et *donum*, nihil interest; at ἔρανος praeterea metaphoriee usurpatur pro *benignitate*, *gratia*, *munere*, *remuneratione* (2), ut infra suo loco videbimus. Quo tamen sensu voces ἔρανα (pl.), et ἔρανιον, aliaeve, nusquam, quod sciam, occurrunt. Si quis vero varias vocis ἔρανος significationes subinde expositas inspicere velit, adeat ille Grammaticos veteres, Athenaeum (3), Etymologum M., Harpocrationem, Suidam, Hesychium (4), Pollucem (5) et Eustathium ad Homerum (6). Significationes porro, quas adhuc intactas reliquimus, convivium ex aere collato instructum quum potissimum spectent, infra, ubi de hoc erani genere erit dicendum, illustrabuntur; quas tamen, quoniam ad vocis intelligentiam minus faciunt, hic praetermittere satius duxi.

§. 7.

A voce ἔρανος aliae quoque deductae sunt, ut ἐρανικὸς, ἐρανίζειν, ἐρανισμὸς (7), ἐράνισις (8), ἐρανιστὴς; aliae vero compositae, ut ἐρανάρχης, ἐρανέμπολος, ἀρχιερανιστὴς (9) et προερανίστρια (10), quae vox peculiaris est, cum propter linguae usum, tum si morem respicias, quandoquidem mulierem erano praefuisse, ejusque fuisse moderatricem, nusquam apud auctores me legere memini. Sed haec nil nos mo-

(1) Cff. Suidas, Hesychius in vocib. singuli, ibique interpretes. (2) Vid. Hesych. in v. Ἐραννῆς, ubi exponitur ἀνταπόδοσις. (3) L. VIII. p. 362. E. (4) In vocib. singulos. (5) L. VIII. s. 157. (6) Od. A. 226. (7) Dion. Halic. p. 1264. (8) Plato de Legg. XI. 915. *E*. (9) Vid. Boeckh. in Corp. Inscript. P. II. p. 173. (10) Boeckh. op. l. P. II. p. 162.

rentur; ἐρανικὸς, ut in viam redeamus, est *ad ἔρανον pertinens;* hinc ἐρανικαὶ δίκαι, ἐρανικὸς νόμος, de quibus infra plura videbimus. Vox ἐράνισις est illa *conferendi actio;* ἐρανισμὸς magis spectat illius actionis effectum, et significat *collationem;* est igitur medium quid inter ἐράνισις et ἔρανος; cujusmodi fere distinctio v. gr. est inter voces ἐπιτήδευσις et ἐπιτήδευμα, quarum prior significat *actionem*, sive *operam*, *quae navatur;* posterior vero *effectum ex illa opera*, sive *id*, *cui operam dant.* Nostris tamen in vocibus difficilius est bene distinguere. Sed discrimen, si quid est, mea sententia, huc redit, ut ἐράνισις possit usurpari pro ἐρανισμὸς, non item haec pro illa voce; ita ut ἔρανος, cum ad hanc propius accedat, sensu collectivo non tantum intelligatur singulorum pensio, verum etiam omne id, quod collatum est; hinc etiam accipitur pro *consociatione*, *collegio*, sive *sodalitate* eorum, qui contulerunt, quatenus socii totius collationis sunt participes. Ita enim, ut tradit Harpocration, ἐρανιστὴς· μέντοι κυρίως ἐστὶν ὁ τοῦ ἐράνου μετέχων· est igitur ἐρανιστὴς ille, qui summae collatae, et vero totius collegii particeps est. Hinc dicitur εἰσφέρειν εἰς ἔρανον, πληρῶσαι τὸν ἔρανον, cet; sed aliud quid est εἰσφέρειν ἔρανον, ubi ἔρανος nil aliud est, nisi *collatio* singulorum, sive in arcam communem, sive in privatam amici egeni utilitatem, quo casu quoque *collectio* vocatur a Casaubono (1).

§. 8.

Singulas igitur Grammaticorum veterum expositiones, cum jam, quantum ad vocis Etymologiam variamque ejus significationem illustrandam satis est, explicaverimus; nemo erit, credo, qui non in-

(1) Ad Theophr. Char. C. XV. §. 2.

telligat caeteras voces, uti vidimus, ab ἔρανος originem duxisse. Sic ἐρανίζειν actionem quandam significat; hinc συνερανίζειν itidem notat actionem, quae a plerisque simul eodem consilio convenientibus, sive alio modo, fieri solebat, quod verbum, haud secus ac simplex, tum conferendi, tum colligendi notionem induit. A verbo denique ἐρανίζειν voces ἐρανιστὴς, ἐράνισις, ἐρανισμὸς promanare satis vulgo nota res est (1).

Hisce itaque praesidiis instructi, ad varia ἐράνου genera tractanda transeamus, quo magis cujusque indolem, consilium, usum, et quid singula proprium habeant, quidque horum generum sit commune, cognoscamus.

Haec erani genera ad tria referri possunt:

I. ἔρανος erat *collatio*, quam convivium inituri singuli pro virili parte faciebant, aut pecunia aut variis rebus convivio destinatis constans; hinc apud Homerum (2) significat convivium ipsum, semper rebus collatis instructum; apud Terentium vero *symbola* erat simplex *collatio* (3), non multum ab ἐράνου diversa; poterat igitur quoque ibi accipi pro *pecunia collata*, qua scilicet deficiente, *annulum* (4) pignoris loco dabant, vel etiam alio modo solebat in hisce conviviis, quae solutiora vocant, conferri (5).

---

(1) Aliae voces compositae traduntur a Stephano in Thes. L. Gr. in v. Ἔρανος. (2) Od. A. 226, Od. Δ. 415. (3) Terent. Andr. I. 1. 61. (4) Id. Eunuch. III. 4. 1—4. (5) De his conviviis vid. Athen. L. VIII. p. 362. E. — 365. D., ibique Casaub. p. 396. sqq.; Gataker. Advers. posth. p. 855. sqq.; add. Barnes. ad Eurip. Helen. v. 391. Quae convivia minus recte ad Phratorum collegia retulit Coray ad Theophr. Char. C. 1. p. 168. cf. Doctiss. Pannius in egregia Diss. de grati animi officiis atque ingratorum poena Jure Romano et Attico. L. B. 1809, ubi recte animadvertit ea huc accedere quam maxime; ad collegia vero eranistarum ea referri posse pene dixerim. Vid. fr. 4 D. de coll. et corp.

Hinc illud convivium eximie *coena collatitia* audit.

II. ἔρανος erat *collatio*, quam collegii cujusdam socii quovis mense faciebant in arcam communem, unde tempore sacrorum convivia summa cum laetitia inirent. Differebat haec *collatio* a priori; 1°. quod pecuniae summa constaret; 2°. quod non tantum ad convivia celebranda, sed magis ad quaevis negotia licita obeunda fieret: ibi enim ἔρανος non simpliciter est *collatio;* sed latiori, uti diximus, sensu accipitur: erant igitur ἔρανοι sodalitates vel collegia quaedam, cum utilitatis et voluptatis, tum utilitatis et communis quaestus gratia instituta (1); in haec nonnunquam tenuiores recipiebantur, saepissime non erant nisi tenuiorum, ubi servos quoque admitti licebat, dominis volentibus neque ignorantibus (2). Huc in primis pertinebant judicia ἐρανικὰ et ἐμπορικὰ, ad illa non item, quae scilicet nil aliud sibi propositum habebant, nisi communem laetitiam cum sacris conjunctam: hinc legibus (ἐρανικοῖς νόμοις) non erant addicta, sed magis religione tenebantur (3). Socii denique vocabantur ἐρανισταὶ, tanquam collegii (ἐράνου) participes.

III. Graecis, inprimis Atheniensibus, cognitus erat ἔρανος, *collatio*, in amicorum gratiam fieri solita; erogabatur nimirum a pluribus amicis uni ita, ut quantum a quovis accepisset sciret, rebusque lapsis restitutis, aut si sibi abundare contingeret, cuique redderet, quod deberet: erat igitur *mutui gratuiti* quoddam genus; sed *mutui* naturam non induit, nisi ex effectu consideratus. Cujus erani, neque Athenis, neque in caeteris Graeciae civitatibus, collegia fuisse crediderim; neque adeo judicia ἐρανικὰ huc

(1) Aristot. Ethic. L. VIII. c. 9., cf. Lex Solonis apud Petitum ad LL. Att. p. 524. (2) V. fr. 3. §. 2. D. de coll. et corp. (3) Plato de Legg. XI. 915. E.

pertinuisse verosimile est: namque in hisce eranis aut ipse egenus amicos rogabat, aut alius ejus nomine mercede conductus (ἐρανέμπολος) hanc provinciam suscipiebat, aut amicus benevolus, concilio amicorum habito, quod singuli dare statuissent (τὸ ταχθὲν) in amicum alterius opera indigentem conferebat (1). Erat enim Graecis mos hujusmodi ἔρανον conferre ad quaevis negotia honesta celebranda, filiasque nubiles collocandas, et ad solutionis pretia (λύτρα) in amici gratiam solvenda (2), quo casu plerumque reddi nequeunt. Aliud vero erat ἐλεημοσύνη, *stipes pauperum*, nunquam nulloque pacto reddenda.

Tribus igitur hisce eranis generibus positis, ἔρανος commode ita definiri potest, ut sit *collatio quaedam, in primis pecuniarum, cum ad convivia celebranda, variaque negotia licita obeunda, tum ad amicos egenos sublevandos facta.*

Age, ad materiam ipsam illustrandam accedamus, quo singula in majori luce collocentur.

(1) V. de hoc erani genere Casaub. ad Theophr. Char. C. XV. §. 2. (2) V. Oratt. Att. passim.

CAPUT I.

DE ERANO, SIVE COENA COLLATITIA.

In causam, quare ab hoc Erani genere disserendi exordium fiat, inquirenti, facile, arbitror, erit persuasum, tempora inprimis esse repetenda, quibus quaevis res vulgo in notitiam pervenerit; quum igitur auctores, apud quos vocis *ἐράνου* mentio occurrit, tot sint iique aetate valde inter se distantes; originem convivii, *ἐράνου* dicti, celebrandi, si Homerum, poëtam illum principem atque antiquissimum, sequamur auctorem, jam a belli Trojani temporibus deducere possumus.

De conviviis enim Homerum voce *ἔρανος* usum fuisse, cum aliunde, tum in primis ex Od. A. 226. apparet. Ubi Eustathius docet illud esse *convivium multorum* (*πολλῶν τινῶν εὐωχίαν*) (1). Sed caveamus ne collegium eranistarum huc referamus (2). Ad nostrum igitur *ἔρανον*, quod attinet, contrahebantur antiquitus societates, sive potius sodalitates, quibus mos erat suam quemque portionem ad coenam conferre, unde omnes simul convivarentur, quam virilem portionem *συμβολὴν* vocant interpretes: sic quoque Latine *symbolam* accipi de convivarum partibus, auctor est Terentius (3). Quo convivio peracto, dissolvebantur illae sodalitates, secus ac in collegiis factum videbimus.

(1) Cf. Hesych. in v. *Ἔρανα*. (2) Athenaeus *ἐράνου* Homerici notionem tradit hujusmodi, ut cum collegiis eranistarum facile confundi possit. (3) In Andria I. 61, ne plura loca afferam.

§. 1.

Quo magis ἔρανον esse convivium multorum intelligamus, redeamus ad fontes unde hanc notionem hauserimus. Sic Eustathius (1), Hesychius (2) et Suidas (3) docent ἔρανον esse πολλῶν τινῶν εὐωχίαν, sive τὸ ἐκ συμβολῆς δεῖπνον (4), sive τὴν ἐκ κοινοῦ ἑστίασιν; est igitur convivium multorum ex *communi collato* celebrari solitum, ἀπὸ τοῦ συνερᾶν καὶ συμφέρειν ἕκαστον (5) καὶ εὐωχεῖσθαι (6): conferebant enim singuli tempore sacrorum, quae ob frugum copiam post messem (7) plerumque incidebant. Ad quae sacra celebranda cum magna semper hominum frequentia conveniret, verosimile est, hac potissimum occasione, inter amicos sibi invicem oblatos, de convivio ineundo convenisse. Quod tamen convivium, qua in re distet ab εἰλαπίνης, cujus quoque meminit poëta, videamus. Sic enim Od. A. 226.

Τίς δαὶς, τίς δὲ ὅμιλος δδ' ἔπλετο; τίπτε δέ σε χρεώ;
Εἰλαπίν', ἠὲ γάμος· ἐπεὶ οὔκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.

et Od. Λ. 415.

ἢ γάμῳ, ἢ ἐράνῳ, ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ.

Ex quo priori Homeri loco patet ἔρανον fuisse *convivium multorum:* vox ὅμιλος enim nihil aliud, nisi *coetum*, *multitudinem* significat; sed quum pleraque conviviorum genera belli Trojani temporibus turmatim solerent celebrari, si Homero fidem

(1) Ad Hom. Od. A. 226. (2) In v. Ἔρανον. (3) In v. Ἔρανος. (4) Συμβολὴ hic collective accipitur, Latine non item, ut confici licet ex Plauto in Curcul. IV. 1. 13. (5) Athen. L. VIII. p. 362. E. (6) Etymol. M. in v. Ἔρανος. (7) Festa post messem et vindemiam, qualia antiquissimis temporibus praecipue celebrari solebant, θαλύσια vocat Homer. Il. I. 530. Sed haec digito monstrasse sufficiat. V. porro Eustath. ad h. l.; Aristot. Eth. VIII. 11. De conviviis illis Homericis, cum sacrificiis semper conjunctis, egregie exposuit Doctiss. J. Terpstra in Antiquitate Homerica. p. 146. sqq.

tribuamus, non immerito rogabat Minerva Telemachum quodnam esset convivium ad quod illi Penelopae proci convenissent; non enim illud esse *ἔρανον* satis sibi habebat persuasum; poterat igitur esse lautius paratum, quam ut pro erano haberetur; quare in altero Homeri loco distinguebatur ab *εἰλαπίνης τεθαλυίης*, ubi, ut ait Scholiastes (1), *κατὰ εἴλας καὶ συστροφὰς εὐωχοῦνται*: erat enim, secundum Scholiasten, *εἰλαπίνη· ἡ πολλῶν εὐωχία ἐν ᾗ κατὰ εἴλας πίνουσιν* (2) *ἔρανος ἡ ἐκ κοινοῦ εὐωχία* (3). Respuebantur nimirum opipara illa convivia si a privatis inirentur, cum essent praesertim regia, ubi nihilominus, si celebrarentur, privati convocabantur, qui saliaribus excipiebantur dapibus, ita ut pocula inter bibendum semper manerent coronata; secus ac fieri solebat in *ἐράνοις*, ubi convivasse amices constat ex rebus collatis; erat igitur *ἔρανος* convivium ejusmodi, quale *ἐκ κοινοῦ* vocat Hesiodus, quum dicit:

Μήδε πολυξείνου δαιτὸς θυσπέμφελος εἶναι
Ἐκ κοινοῦ· πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη δ' ὀλιγίστη (4).

Hinc apparet haec convivia plurimum afferre gratiae, minimumque sumtus requirere: ad quem Hesiodi locum Scholiastes respexit, quippe quo Hesiodus

(1) V. Scholia antiq. in Hom. Od. A. 226. ab Angelo Majo auctius et emendatius edita. (2) Recte Athenaeus L. VIII. p. 362. E., *εἰλαπίνας* quoque ad sacrificia refert, cum dicat *τὰς θυσίας καὶ τὰς λαμπροτέρας παρασκευὰς ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ εἰλαπίνας*. De vocis etymo cf. p. 362. F, ibique Casaubonus p. 397. (3) Sive, ut idem ait Scholiastes, *τὸ ἐκ συμβολῆς δεῖπνον. ὁ μὲν γὰρ γάμος*, inquit, *καὶ αἱ ἄλλαι εὐωχίαι φιλίᾳ τινὶ γίνονται, ὁ δὲ ἔρανος ὡς ἕκαστος τι κομίσειεν*. Differebat igitur *ἔρανος* a caeteris conviviis, ubi peculiaris quaedam amicitia requirebatur, secus ac in *ἐράνῳ*. Sic enim accipio *φιλίᾳ τινὶ*, ut emphasis sit in voce *τινὶ*, eâque *eximia quaedam amicitia* intelligatur. (4) Opera et dies v. 669 (721). Sic etiam Spanhem. ad Callimach. in Hymn. in Cerer. v. 73. *ἔρανον* veteris interpretis auctoritate reddit *convivium e collatis symbolis*, non vero simpliciter *coenam*, ut Frischlinus et Vulcanius.

decus, quod convivium communi sumtu apparatum prae se ferret, fratri Persei commendaret. — Quare Scholiastes addit: τὸ κόσμιον τῶν ἐράνων δηλῶν (Ἡσίοδος), εἰ γὰρ ἦν ἔρανος φειδωλῶς ἤσθιον, ὡς ἴδια ἐσθίοντες. Celebrabant convivae τὸν ἔρανον omnino parce, nec facile fieri poterat ut modum excederent, quandoquidem suam quisque portionem (τὰ ἴδια) comedebat. Ne quis igitur hasce portiones collatas cum pecuniae quadam summa, unde quod quisque vellet emeretur, confundat: pecunia enim, praesertim aetate Homeri, conferri non potuit, cum nondum invaluisset moneta, unde merces quae opus essent, sibi compararent homines (1): sed merces cum mercibus permutabantur. Ideo antiquitus *emtio venditio* nihil aliud erat nisi *permutatio* (2). Quod cum ita esset, haud a ratione erat alienum, eos qui sacra obire vellent, quantum satis esset, vel cibi vel potus (3) domo attulisse, cum ut ipsi non egerent, tum vero etiam ut amicorum, qui idem fecissent, sodalitatem peterent, quo majori cum hilaritate festum simul transigerent diem.

§. 2.

Hisce conviviis similia fere sunt ea, quae Graeci adolescentes, simul ac excessissent ex ephebis, inire

(1) Monetam ante colonos a Graecis missos non in usu fuisse, tradit Heerenius Ideën T. VI de Graecis, p. 233. sq. (2) Homer. Il. H. 472—475; Od. I. 430. sq. Conf. Justinian. Inst. L. III. Tit. de Emt. Vendit. §. 2.; Paulus JCtus in fr. 1 D. de contr. emt., fr. 1 D. de rer. permut. add. U. A. Everts Disput. de Homeri auctoritate apud JCtos Romanos, praeside Cl. de Wal defensa Franeq. edit. Leovard. 1819. p. 47 sqq. (3) V. Homer. Od. Δ. 620—624, ubi legimus δαιτύμονας apud Regem Menelaüm coenaturos alterum pecora minora, alterum vero vinum attulisse. Cf. Greg. Wilh. Nitsch Erklärende Anmerkungen zu Homer's Odyssee 1 Gesang. v. 225—229.

solebant, quae *de symbolis* vocat Terentius (1). Haec vero convivia semper modica fuisse, non adeo affirmare ausim. Id enim quo minus credamus, cum obstat convivantium adolescentia, tum vero etiam tempus pro arbitrio huic convivio praestitutum. Sic apud Terentium legimus, servulos quosdam Simoni seni de Pamphilo quid factum esset roganti respondisse, se probe scire quis Chrysidem pridie habuisset; Pamphilum autem hoc ipso die alibi fuisse, et vero symbolam ad coenam dedisse (2): quem tamen adolescentulorum morem non adeo in vitiis positum fuisse, ipse senex, cum de Pamphili ingenio praedicaret, indigitasse mihi videtur (3). Quamobrem non crediderim hujusmodi convivium εἰλαπίνης referre speciem, sed ab Homericis illis conviviis tantum in eo distare, quod hic nullo prorsus de negotio amici nonnulli convenientes unâ coenarent; uti ex alio Terentii loco facile videre est, qui sic se habet:

Heri áliquot adulescéntuli coïimus in Piraéo
In húnc diem ut de symbolis essémus. Chaeream eí rei
Praefécimus: dati ánuli: locus, témpus constitútum 'st.
Praetériit tempus, quo ín loco dictúm 'st, parati níhil est (4).

Hinc apparet neminem ad hujusmodi convivium potuisse accedere, nisi qui contulisset *symbolam*, essetque porro amicus, aequalis similisque, quoad ejus fieri posset, conditionis. Neque illi omnes te-

(1) Pertinent ea, quae proponit Terentius, ad mores Graecorum; nam ille Comicus, si sermonem ejus excipias, quem vere Latinum ejusque linguae elegantiis refertum deprehenderis, plane Graecus est. Hinc ejus fabulae dicuntur *palliatae*; quum Graeci a Romanis dicantur *palliati*. V. Ruhnk. Dict. in Andr. didascaliam. (2) V. Andr. I. 1. 61. » symbolam dedit, coenavit." (3) Terent. Andr. I. 1. 71. (4) V. Eunuch. III. 4. 1—4.

mere ad coenam, nullo fere servato ordine, conveniebant; sed antequam singuli conferrent, communi consensu elegerunt, cui omnium rerum parandarum provinciam mandarent, quem vocabant symposiarcham. Ille enim simul convivio praeerat, ejusque erat moderator, curator, dux, magister; sed de illo convivii praefecto infra erit dicendi locus. Constat igitur, non omnia illa convivia Terentiana fuisse moderatoris communi suffragio electi curae mandata: namque ille, quem modo ex Andriâ protulimus, locus contrarium indicare videtur; ibi enim ἀσυνδέτως legimus: »*symbolam dedit, coenavit,*" ita ut nullum temporis spatium intermedium esse videretur, secus ac factum accepimus ex nostro Terentiano loco, ubi coenaturi pridie in publicum locum conveniebant, quo facilius esset amicos inveniendi opportunitas; ibique locum et tempus simul praefiniebant, annulis ad coenam datis, ut haberet ille convivii praefectus, unde omnia laute instrueret. Hanc igitur credo fuisse normam et quasi legem in hisce conviviis observandam.

§. 3.

Unde tamen haec convivia Terentiana celebrarentur, ex voce *symbola* (1) non satis, opinor, constat; at mos annulos ad coenam dandi arguere videtur haec convivia praesertim celebrari solita, quum jam invaluisset moneta; non enim alioquin credibile

(1) Heraldus in Observat. ad Jus Att. et Rom. (VI. 8.) recte animadvertit, convivii Terentiani duo fuisse genera, alterum quod sponte susciperent amici, alterum quod instruendum curaret ille, quem praefecissent sodales. Priora igitur illa convivia putat interdum pecuniâ datâ celebrari solita: quo casu respondent iis, quae ἐπιδόσιμα vocat Athenaeus; sed de his infra videbimus. Hinc constat vocem *symbolam* latiori sensu esse usurpatam.

est illum symposiarcham tot mercium permutandarum periculum suscepisse, ut tandem, quae coenae idonea essent, sibi compararet. Quod quidem si ita esset, quid, quaeso, tunc juvassent symposiarchae annuli a coenaturis pignoris loco dati? Terentium praeterea Atheniensium post Solonis leges mores populo exposuisse, omnibus, qui Comicum vel semel legerint, satis manifesta res est. Solonis enim aetate monetam jam Athenis viguisse, auctor est Demosthenes in Timocrat. p. 763. sq. Tom. I. R. (1). Hinc itaque luce clarius apparet, haec convivia certo ordine celebrata, ut plurimum, ex pecunia collata fuisse instructa. Quo magis tamen caverent sodales, ne cui annulos frustra darent, videbantur negotio praefecisse neminem, nisi cujus esset probata fides; cui, etiamsi locus coenae ante praestitutus esset, interdum facultas erat convivium alio loco parandi (2). Haec igitur res commodo illius symposiarchae relinquebatur. Hoc convivio, haud secus ac Homerico ἐράνου, peracto, sodalitium, quod illi adolescentuli contraxerant, quoque dissolvebatur (3).

§. 4.

Ex hisce igitur, quae modo diximus, facile in oculos incurrit discrimen inter haec convivia Terentiana eaque quae Graeci ἐράνους vocant; nam si propositum respicias, multum illa aberant ab ἐράνοις, sive conviviis, quae collegii socii celebrabant, ut

(1) Cf. Herod. III. 56. add. Heeren. Ideen. T. VI. de Graecis, p. 231. sqq., qui monetam jam a Lycurgi tempore repetit, quum dicat Phidonem Argivum anno 895 a. C. primum fuisse, qui numos argenteos Aeginae cuderit, uti videre est ex Marmore Pario, Ep. XXXI. Cf. Strabo L. VIII. p. 563. (2) V. Terent. Eunuch. III. 5. 60. (3) Salmas. de Usur. C. 3. p. 52.

infra luculentius apparebit. Qui tamen Salmasii sententiam tueor, dicentis convivia de symbolis, sublata licet collegii notione, multum abesse ab *eranis*, non video; licet inculcet ἔρανον fieri ex stipe collatitia, convivia vero *de symbolis* ex eo, quod quisque ad comedendum vel ad compotandum attulisset (1). Ast, ita statuens, divellit vinculum, quod tam arcte inter ἔρανον et convivium *de symbolis* cohaeret, quin etiam non agnoscit incunabula, unde, velut ex communi fonte, omnia erani genera, quae post Homeri aetatem vigebant, manarunt. Nam coena, quam, ut jam animadvertimus, Homerus ἔρανον vocat, non datâ pecuniâ, verum ex rebus collatis, adeoque *de symbolis* celebrabatur. In utroque genere errat Salmasius, praesertim si consideres illa convivia de *symbolis*, quorum Terentius meminit, pecuniâ collatâ, ut plurimum, constare. Quare aut fallor, aut inter ἔρανον et convivium *de symbolis* summa intercedit necessitudo, et vero convivium Terentianum erat ἔρανος, quamvis carebat nomine (2): convivia enim ἀπὸ συμβολῶν tum demum videntur fuisse inventa, cum vigerent collegia eranistarum; quo tempore convivia nostra erant solutiora, ita ut aut pecuniam possent dare convivae, aut res, quas vellent, conferre. Sic Pollux (3) dicit μακρὰς i. e. μεγάλας διδόναι συμβολάς, quibus symbolis ea quoque, quae mensae ornandae inservirent, indicare volebant veteres, ut videre est e versibus Alexidis apud Athenaeum (4), ubi legimus:

(1) De Usur. l. l. (2) Terentiana illa convivia nullis sacris fuisse adstricta, jam supra vidimus; affirmat quoque Salmasius (l. l.); neque eo secius vinculum conspicuum est. (3) L. VI. s. 12. (4) L. VIII. p. 365. D. ibique Casaubonus p. 399. Cf. Salmas. de Usur. C. 3. p. 53.

Ἥξω φέρουσα συμβολὰς τοίνυν ἅμα.
Πῶς συμβολὰς; τὰς ταινίας οἱ Χαλκιδεῖς
Καὶ τοὺς ἀλαβάστους συμβολὰς καλοῦσι γραῦ.

Sed haec obiter. Non igitur videbantur convivae dedisse portiones aequales. Dixit nihilominus Salmasius hujusmodi *de symbolis* convivium fuisse *ἐράνου* genus; atque ita recte; sed vellem nunquam docuisset illud ab *ἐράνου* multum discrepare: namque omnia convivia, quae *ἐκ κοινοῦ*, ut ait Hesiodus, celebrabantur, ab Homerico illo convivio (*ἐράνου*) sunt repetenda, ita ut postea *ἔρανος* praecipue audiret *convivium aere collato paratum.*

§. 5.

Haec erant, quae me induxerunt, ut convivia illa solutiora a sodalitiis sive collegiis eranistarum, quae vocantur, aliena putarem, cum revera nihil aliud essent haec collegia, nisi prioris *ἐράνου* celebrandi sive habendi moris perfectio; ita ut quod antea sine ordine factum esset, id postea certo quodam ordine, cum in conferendo, tum in celebrando, tum denique in loco, ubi celebraretur convivium, servato, obtineret; quum scirent se tempore sacrorum non ad convivia tantum ex communi collato celebranda convenire, verum etiam se varias res habere communes, bonorum malorumque esse consortes, ut infra, ubi de hisce collegiis sermo erit, luculentius apparebit. Hinc quoque constat eos, qui *de symbolis*, sive *ἀπὸ συμβολῶν* coenarent, nunquam *ἐρανιστὰς* i. e. collegii cujusdam, *erani* nomine insigniti, participes dici potuisse, quo tandem modo consociarentur, sive pecuniâ, sive rebus ipsis coenae idoneis datis. Quod cum jam supra satis indicasse me existimem, superest, ut de conviviis illis solutioribus, in quibus nunc sumus, plura videamus, ut cum iis, tanquam fonte, unde omnia erani ge-

nera manarunt, majorem nobis contrahamus familiaritatem (1). Quocirca res paulo accuratius erit perpendenda, donec convivia solutiora ad hujusmodi sodalitia retulerimus, quae a collegii cujusdam sociis non facile distinguas, atque inter sodalitia et collegia eranistarum nexum quemdam animadvertas.

§. 6.

Eustathius, in scholiis ad Homerum, ubi de ἐράνοις sermo est, dicit eos, qui ἐράνους celebrarent, vocari ἐρανιστάς, quae vox cum proprie ad collegium eranistarum pertineat, quin ad nostra quoque convivia referri possit, nullus dubito, etiamsi vox ἐρανιστὴς nusquam apud Homerum occurrat. Quid mirum? Tot enim quum sint convivii genera, quorum convivae certo nomine carent, facile fieri potuit, ut nemini venisset illo tempore in mentem nominis, quod inderent iis, qui coenae (ἐράνου) interessent. Quare poëta eos vocabat ἑταίρους. Quum igitur ἐρανισταὶ a Solonis aetate demum sint oriundi, cum ubique Graeciae vigerent collegia; credo hanc vocem aetate Athenaei adeo tritam evasisse, ut plerique omnes, qui convivia ex communi collato celebrarent, ἐρανισταὶ vocarentur. Hinc igitur Eustathium, qui ex Athenaeo cum multa, tum maxime, quid esset ἐρανιστὴς, hausit, minus recte vocem

(1) Cavendum est, ne *comissationes* ad nostra convivia referamus, de quibus multus est Heraldus in Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 7.; quae licet plerumque *de symbolis* fierent (quod non est inficiandum), nil tamen iis erat cum ἐράνοις: erant enim hae comissationes convivia quaedam popularia, ubi nullus fere temperantiae erat modus. His respondent συνδείπνια apud Callimachum in Hymno in Cererem v. 73. "εἰς ἐράνους, οὔτε συνδείπνια." Ad quem vide Spanhemium. De coena porro, quae popularibus sive δημόταις apparabatur, accipiendus est locus Plautinus, in Trinummo (II. 6. 67.): addatur quoque Heraldus in Observ. et Emend. C. 42.

adhibuisse ad *ἔρανον* Homericum explicandum crediderim; Athenaeus enim aliud *ἐράνου* genus cum Homerico illo, propter sacrificia cum utroque conjuncta, confudisse mihi videtur (1). De Eranistis porro, qui sint, sequenti capite erit dicendi locus (2).

§. 7.

Gravius tamen peccat Eustathius, *ἐρανιστὰς* interpretans *τοὺς ἐξ ἐράνων ὃ ἐστὶ συμβολῶν συνδειπνοῦντας*. Male ille ad Homeri locum explicandum usus est voce *ἐράνων*, quae vox in conviviis solutioribus nunquam de *symbolis* accipi potest. Haec enim convivia eum significare, arguit illud epexegeseos gratia additum *συμβολῶν* (*variis rebus collatis*): aliud namque esse *ἐκ συμβολῆς*, aliud *ἐκ συμβολῶν*, jam in Introductione paucis monui (3). Quod autem dicit Athenaeus *ἐράνους* esse *τὰς ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγάς*, eo indicare videtur se ob oculos habuisse collationes a collegii sociis fieri solitas. Quem locum jam supra illustrare conatus sum. Melius tamen ipse Scholiastes rem egit, cum *ἔρανον* explicaret *τὴν ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς ἤγουν καταβολῆς καὶ δαπάνης πολλῶν τινῶν γινομένων εὐωχίαν*; sed haec interpretatio magis alii erani generi convenit, ubi *συμβολὴ* sive *καταβολὴ* collective sumitur; namque his verbis vulgo solet significari actio (4), haud

(1) Sic Athenaeus L. VIII. p. 362. E. »*καλεῖται δὲ καὶ ὁ αὐτὸς καὶ ἔρανος καὶ θίασος, καὶ συνιόντες ἐρανισταὶ καὶ συνθιασῶται.*" Pollux eodem modo *συνθιασώτας* ad eos, qui de symbolis coenabant, refert. (L. VI. s. 7 et 8.). Cf. Salmas. Miscell. defens. C. 2. p. 24. (2) Eranistae quoque notionem tradunt Etymol. M. et Harpocration in v. *Ἐρανιστής*. Sic quoque Athenaeus (l. l.) memorat *εἰλαπινασταὶς*; et Pollux (l. l.) plura hujusmodi nomina a conviviis in convivas translata exponit. (3) Cf. Salmas. de Usur. C. 3. p. 53 sq. (4) Cf. Herald. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 7.

secus ac obtinet in voce εἰσφορὰ (quam vernaculo sermone dixeris *de opbrenget*). Quod ad sequentia verba καὶ δαπάνης πολλῶν τινῶν γινομένων εὐωχίαν attinet, veram hujus loci lectionem non est, quod quis in dubium vocet: attamen Hesychii lectionem, pro πολλῶν τινῶν habentis πολλῶν αὐτῶν, vitiosam crediderim: Haec enim sunt ejus verba: ἔρανα· συνεισφορᾶς δῶρα, ἢ δόσις πολλῶν αὐτῶν γινομένα συμπόσια. Quem igitur locum misere esse vexatum indicant Hesychii interpretes, alii aliam lectionem tuentes. Etenim facile mihi persuasum habeo pro δόσις legendum esse δόσεις (1): quandoquidem vox ἔρανα plur. numero exponitur. Locus igitur restitutus sic se habet: ἔρανα esse δόσεις πολλῶν τινῶν γινόμενα συμπόσια, h. e. »*dona multorum ita col-*»*lata, ut convivia inde parata sint.*" Quo tandem modo locum legeris, res ad Hesychii mentem explicandam eodem redit, ut intelligas eum indicare voluisse ἔρανα nil aliud esse, nisi singulorum ad convivia celebranda *collationes*, sive pecunia constantes, sive alio modo factas (2).

§. 8.

Quum igitur quid sit convivium ἐκ συμβολῆς sive καταβολῆς explicaverimus, et vero etiam viderimus convivium ἀπὸ συμβολῶν, ut plurimum, constitisse

(1) V. Hesychius in voc. Ἔρανα, et quae ibi annotarunt interpretes: sic Heinsius legit ἢ δόσεις πολλῶν ἀνδρῶν εἰς τὰ γιν. συμπ.; Pergerus habet δόσει πολλῶν ἀφθόνως γιν. συμπ. »*convivia e praebitione multorum largiter instructa.*" Hinc Kusterus distinxit ἢ δόσεις ἢ πολλῶν ἀνθρώπων (ac si scriptum esset ἀνῶν, facile mutandum in αὐτῶν) γιν. συμπ. — quae Kusteri emendatio, licet ingeniosa, caeteroquin non habet, quo sese magnopere commendet, utpote quae ab auctoris calamo multum recedit. — Sed vide Interpretes. (2) Ἔρανα, *collationes*, magis ad collegia, quam ad convivia Homerica (ἐράνους) pertinent.

variis rebus sive portionibus ad coenam datis; in eo sumus, ut, Romanorum in his conviviis versandi more perspecto, nostram de hisce eranis sententiam corroboremus, quae nititur nexu quodam inter convivia illa solutiora Graecorum, eaque inter ejusdem collegii socios celebrata. Graecorum tamen morem ab illo Romanorum quodammodo discrepare, ex Ciceronis, quae afferam, verbis facile apparebit: »*Ego vero, inquit ille* (Caesar), *quoniam colle-* »*ctam a conviva, Crasse, exigis, non committam,* »*ut, si defugerim, tibi causam aliquam dem re-* »*cusandi* (1)." Quo loco si totam disputationem, quae de conviviis minime instituta est, spectemus, videtur ibi Caesar lusisse in conviviis hujusmodi, ubi a convivis definita quaedam pars colligi soleret, non vero quantum quisque vellet. Rogabat enim Crassus Caesarem, de toto jocandi genere ut disputaret, quid sentiret, ita: *ne qua forte dicendi pars in hoc tali coetu atque in tam accurato sermone praeterita esse videretur.* Idem obtinere in menstruis pensionibus exigendis ab iis, qui collegio cuidam addicti sunt, infra, ubi quid sit πληρῶσαι, quid ἐκλιπεῖν τὸν ἔρανον explicaverimus, luculentius apparebit. Sed locus, in quo sumus, ita erit explicandus, ut ad convivia solutiora referatur. Quod quo magis credamus, arguit vox *conviva*, unde suspicari licet de nulla alia re nisi de conviviis cogitasse Caesarem; non adeo de iis quae *de symbolis* vocat Terentius, quo nemini, nisi qui contulisset, accedere licebat; verum de alio quodam conviviorum genere, ubi quoque nonnunquam admittebantur quidam, etiamsi nihil contulissent; non enim dixit Caesar se omnino a Crasso, si ἀσύμβολος

(1) De Oratore II. 57.

venisset, repulsum iri, verum repelli posse; alioquin non uteretur verbis *tibi causam aliquam dem recusandi.* Sed nil statuere certi ea de re ausim. Ex verbis porro, quae apud Ciceronem sequuntur *ne qua dicendi pars praeterita esse videretur*, si ea eodem modo ad convivia de symbolis referas, colligi licet, convivas jam quodammodo iniisse sodalitatem, cui praeerat symposiarcha, in quem singuli virilem partem conferrent, unde convivium pararetur, aut aedes ejus, qui caeteros recipiebat, idonee instruerentur. Hinc equidem crediderim eos ita conferre fuisse solitos, ac si societatem quandam contraxissent.

§. 9.

Erant praeterea et alia convivii genera, quae ἐπιδόσιμα vel ἐξ ἐπιδόσεως Graeci dixerunt; haec convivia datâ pecuniâ celebrari non immerito statuit Salmasius, quum ea distinguit a conviviis, quae ἀπὸ συμβολῶν fieri dicebantur (1); sic enim de iis narrat Athenaeus L. VIII. p. 364. F: ὀνομάζουσι δ'οἱ ἀρχαῖοι καὶ ἐπιδόσιμά τινα δεῖπνα, ἅπερ Ἀλεξανδρεῖς λέγουσιν ἐξ ἐπιδομάτων. De his conviviis Heraldus (2) negat ita factam esse mentionem ab Athenaeo, ac si pecunia collata essent instructa, causam interserens, neque ipsum Athenaeum cujusmodi essent convivia scivisse, idque apparere ex eo, quod dixerit τινὰ δεῖπνα. Quae quidem verba rem obscuriorem reddere non negaverim, non tamen ita ut ea ad plane incerta convivii genera rejicias. Videntur enim vocari haec convivia ἐπιδόσιμα, quod liceret ad ea, quid quisque vellet, conferre. Merito igitur observat Salmasius alia esse ἐπιδόσιμα, alia

(1) De Usuris C. 3. p. 53. (2) Observ. ad Jus. Att. et Rom. VI. 2.

ἐκ συμβολῶν δεῖπνα; sed ἐπιδόσιμα illa δεῖπνα an non nisi pecuniâ collatâ fierent, non firmiter mihi persuasum habeo. Omnis tamen res, si quid video, huc fere redit: collegiis eranistarum institutis, tria fuisse erani genera solutiora: 1°. Veterem ἔρανον Homericum, qui ἐκ συμβολῶν i. e. portionibus, sive aequalibus, sive inaequalibus datis, iniri soleret. 2°. Alia quaedam convivia, quae *de symbolis* vocat Terentius, ubi illa *symbola* plerumque de pecunia intelligitur; licet perinde esset, utrum pecuniâ datâ, an portionibus collatis celebrarentur, modo prius inter sodales convenisset, quid potissimum quisque esset collaturus. 3°. Convivia illa ἐπιδόσιμα, in eo a caeteris diversa, ut pecuniâ collatâ constarent, sed ita quidem, ut cuique facultas esset, quantum vellet, conferre; quin etiam defungebantur, opinor, convivae, tenuissima pecuniae summa, vel quapiam re, quae cibo inserviret, data: erant enim ἐπιδόσεις, ut supra monuimus, *collationes voluntariae* (1).

§. 10.

Hesychius ἔρανον, praeter alias, quas voci tribuit significationes, exponit τὸ ἀνὰ μέρος δεῖπνον (2). Quae verba, cum convivium spectent, videndum est quomodo intelligenda et ad quod convivii genus referenda sint; facile enim in dubium vocari potest, utrum ad collegia an ad solutiora nostra convivia pertineant. Equidem tamen, ut ingenue meam profitear sententiam, ea ad utrumque convivii genus commode referri posse putaverim. Hesychii locus, ut recte intelligatur, videamus cujus in aedibus

(1) Cf. Salmas. de Usur. C. 3. p. 54 et 55; Herald. l. l.; de conviviis illis caeteroquin acriter certantes, quod tamen certamen lubens missum facio. — De voce Ἐπιδόσεις videsis notam ad §. 3. Introd. supra. (2) In v. Ἔρανον.

convivia solerent iniri; cujus rei vestigia, quibus tuto insistamus, nusquam superesse reperio; neque Terentii Comoediae satis arguunt locum, ubi convenirent coenaturi; hoc saltem ex eo colligimus locum ex voluntate ejus, quem convivio praefecissent, pependisse (1). Cum igitur appareat, praestitui quidem conviviis locum solere, non tamen cujus in aedibus haberentur, si non ille praefectus eos domo exciperet; crediderim nihilominus eos, licet legibus non adstrictos, certum ordinem servasse. Quod quo melius procederet, alternis vicibus se exciperent convivae necesse erat, praesertim si plus semel ad convivia ineunda iidem convenirent sodales. Quocirca ille, in quem parandi cura incumberet, non semper, opinor, idem erat; sed, pro loco, ubi esset coena, alius; id quod in collegiis strictius observatum fuisse credo, ubi nimirum tempus tum conveniendi, tum in commune conferendi, non adeo voluntati eorum, qui interessent, erat relictum, sed magis cum negotiis, quae agerent, videbatur conjunctum. Ille enim, cujus in aedibus conveniebant, appellabatur *συμποσιάρχης* (2): nam uti in collegiis erat *ἐρανάρχης* quidam, collegio eranistarum praefectus, sic in conviviis solutioribus erat convivii moderator, ut jam supra monuimus. Inde igitur erit explicandus Aristotelis locus de eranistis, ubi *τοῦ βαναύσου* sermo est, qui locus sic sese habet: *καὶ λαμπρύνεται παρὰ μέλος, οἷον ἐρανιστὰς*

(1) V. supra §. 3. h. cap. (2) De Symposiarcha mihi videtur accipiendus locus auctoris ad Herennium L. IV. 51, his verbis: » Dum haec loquitur, venit in aedes quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum: quo iste pro notitia *domini aedium* ingreditur cum hospitibus.'' Salmasius veterum Glossarum auctoritate legendum censet *domnaedius* pro *dominus aedium*. V. Miscell. defens. C. 3. p. 73.

γαμικῶς ἑστιῶν (1). Licet igitur de coquo loquatur Aristoteles, dubium non est, quin verbum ἑστιᾷν ad Symposiarcham sit referendum, ad unum nimirum convivarum, quem coquinariam artem exercuisse verosimile non est. Quare illud περὶ τοῦ βαναύσου, non adeo *coquum* significare existimaverim; verum *culinam*, i. e. omnem coenae parandae curam, qualis provincia convivii praefecto mandaretur (2). Si igitur ἑστιῶν conciliare velimus cum Hesychii interpretatione ἔρανον· τὸ ἀνὰ μέρος δεῖπνον, inde mihi quodammodo elici posse videtur, convivas se alternis vicibus excepisse: ἀνὰ μέρος enim significat *alternis vicibus* (3), qua significatione accipi quoque potest κατὰ μέρος. Quod tamen si quis

(1) L. IV. c. 6. Ethic. edit. Duvallii. (2) Sic ad Symposiarcham videtur referendum illud Eubuli in Oedipode apud Athenaeum L. VI. p. 239. A.

Ὅστις δ' ἐπὶ δεῖπνον ἢ φίλον τιν' ἢ ξένον
Καλέσας, ἔπειτα συμβολὰς ἐπράξατο,
Φυγὰς γένοιτο, μηδὲν οἴκοθεν λαβών.

Ad symposiarcham, a quo coenae cura incipit, respexisse quoque videtur Plato, in Symposio, p. 177. D., ubi Phaedrum dicit Eryximachus esse *sermonis patrem*: δοκεῖ γάρ μοι, inquit, ἕκαστον ἡμῶν λόγον εἰπεῖν..... ἄρχειν δὲ Φαῖδρον πρῶτον, ἐπειδὴ καὶ πρῶτος κατάκειται, καὶ ἔστιν ἅμα πατὴρ τοῦ λόγου. Quem Platonis locum Stallbaumius mihi videtur retulisse ad aliud erani genus, quo amici egeni juvarentur: non enim alioquin Casauboni niteretur testimonio (ad Theophr. Char. C. XV. §. 2.). Quo quidem facile referri potest, praesertim si ob oculos habeamus, omnia erani genera a simpliciori ἐράνου manasse, quocum ἔρανος amicorum egenorum in eo praecipue convenit, quod in utroque genere amici amicorum consilium adjuvare soleant: quare recte interpretatur Stallbaumius: » *Symbolam aliquam conferre*, h. e. amici consilium adjuvare eique gratum facere.'' V. infra C. III. §. 14; ne alia loca memorem. Sed noster Platonis locus integer erit legendus, ut vocis Χαρίσασθαι in eranis vim percipiamus. Cf. infra C. III. §. 17. in nota. (3) Conf. Salmas. de Usuris C. 3. p. 56.

putet etiam *per partes* significare, ita ut Hesychius ob oculos habuerit convivium partibus collatis constans, eum a vero longe abesse crediderim. Fac voces ἀνὰ et κατὰ μέρος, quae eodem redeunt, ex Grammaticorum sententia, expositas esse *per partes:* rogo equidem, quid haec interpretatio sibi velit; credo enim nil aliud intelligi, nisi partes se invicem subsequentes, sive partes, quarum alias alia, si Hesychii verba τὸ ἀνὰ μέρος δεῖπνον respicias, ad coenam consumeretur; id, quod erani notioni plane repugnat: ibi enim accepimus a singulis convivis conferri solitum, unde simul jucundi esse possent. Quod si tenemus, ἀνὰ μέρος hoc loco non significare potest *per partes.* Denique, ut hoc addam argumentum ad faciendam fidem probabile; Aristoteles de societatibus, sive collegiis, loquens, ubi suam quisque partem confert, utitur verbis: κατὰ μέρη τοῦ συμφέροντος (1); id quod Hesychium fugere vix potuit. Namque κατὰ μέρη τοῦ συμφέροντος, nihil aliud est, nisi ἐκ συμβολῆς; ita ut partes conjunctae unum quasi corpus efficiant. Quocirca aliud est ἀνὰ sive κατὰ μέρος, aliud κατὰ μέρη. Porro accepimus, ut ἀνὰ μέρος missum faciamus, verbum συνερανίζειν a Stephano Latine redditum esse *mutua convivia agitare*, qua in re VV. LL. se secutum esse fatetur (2). Sic Aul. Gellius eodem sensu usurpat *mutito* (3). Unde mihi satis apparere videtur convivas, ut plurimum, alterna vice, unum alterum domo excepisse. Quod si in collegiis eranistarum ita procedat; quidni inter caeteros sodales, non nisi convivia una celebrantes, eodem modo obtinere

(1) Ethic. VIII. 11. (2) Stephanus in Thes. L. Gr. v. Ἔρανος. (3) Noct. Att. II. 24., XVIII. 2.

possit, nescio, praesertim si plus semel, ut merito putat Salmasius (1), iidem sodales concurrant.

§. 11.

Ut ad modum in conviviis illis celebrandis revertamur, Aristotelis illo, quem attuli, loco, paulisper insistamus, *περὶ τοῦ βαναύσου* dicentis: *καὶ λαμπρύνεται παρὰ μέλος· οἷον ἐρανιστὰς γαμικῶς ἑστιῶν.* Quae verba, etiamsi collegium eranistarum spectent, satis tamen indicant convivas nunquam ita excipi oportere, ac si quis nuptias celebret. Quod quidem in conviviis Homericis haud secus obtinuisse jam observavimus; vidimus enim quatenus distet *ἔρανος* a conviviis illis pompae plenis, qualia erant *εἰλαπίνη* et *γάμος*, quorum poëta meminit. Quare Aristoteles eos, qui sodales sive amicos magno apparatu excipiant, acriter perstringit, cum dicat: *splendidius se gerit, quam par est; veluti si quis eranistas, aeque ac si convivium nuptiale celebraret, exciperet* (2). Licet igitur de eranistis absolute hic sermo sit, dubium tamen non est, quin illud exemplum ad omnes, qui communi sumtu coenantur, referamus; neque enim putaverim Aristotelem vocem *ἐρανιστὰς* hoc loco *ὁριστικῶς*, sed magis *δεικτικῶς* attulisse, ita ut omnes omnino, qui socios exciperent, sive communi sumtu, sive gratis

(1) De Usuris. C. 3. p. 52. (2) Andronicus, aut quisquis est paraphrastes, ad L. IV. 6. Ethic. exponit: *οἷον ἐρανιστὰς ἑστιᾷ πολυτελέστατα, ὥσπερ εἰ γάμους ἐποίει.* Quo igitur ex loco facile videre est, quam absurdum esset *ἐράνους* magnificentiae speciem habere; integrum enim Aristotelis locum si perlegamus, videmus ibi omnino exempla proposita eorum, qui in modicis rebus sumtuosius quam par est versentur: *ἔρανος* autem erat *κόσμιος*, non vero *πολυτελής*. Vid. porro Salmas. de Usuris C. 3. p. 55. sqq. Conf. infra C. II. §. 12.

id fieret, ad parsimoniam colendam hortari videretur auctor (1).

Quum jam monuerimus convivia illa simpliciora tempore sacrorum fieri solita, Graecos postea, collegiis eranistarum vigentibus, eundem morem servasse, nulli licet collegio nonnunquam adstrictos, si non aliunde, certe colligi potest ex Romanorum consuetudine sacrorum cum epulis conjungendorum, sodalitatibus contractis, simul ac sacra cujusdam Dei Deaeve essent accepta. Sic apud Ciceronem in libro de Senectute, Cato Major dicit: »*Sodalitates me quaestore constitutae sunt, sacris Idaeis magnae matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice* (2)." Hinc apparet, quanta cum parsimonia per omne fere tempus hujusmodi convivia celebrare fuerit mos et decus. Quod ad hasce sodalitates attinet, illae mihi videntur sacris peractis non amplius exstitisse. Quatenus vero inter hasce sodalitates et collegia necessitudo quaedam intercedat, intelligi poterit, si de collegiis eranistarum, ad quae et θιασῶται referri possunt, clariorem nobis informaverimus notionem (3). Hoc tamen certo constat, hasce sodalitates fuisse revera societates voluptatis et utilitatis gratia contractas,

(1) Salmasius ἑστιᾷ accipit de eo, qui suo sumtu sodales excipit, affirmans vix aliter fieri posse; nullo enim modo ait liberalem videri eum, qui eos, qui symbolam in coenam dederint, excipiat. Quâ sententiâ quodammodo cadit, addens: » Potuerit fieri ut invicem mutua inter se factitarint » convivia eranistae." Vid. de Usur. C. 3. p. 56. Ita tamen, ut, quotiescunque convenirent, communi sumtu ab uno ex sodalibus, cujus essent vices, omnes exciperentur. (2) Vid. Cap. 13. (3) Vid. tamen Ernesti in Clavi Ciceron. in vocib. *Sodalis*, *Sodalitas*, *Sodalitium*. Sic Festus in v. *Sodales:* » una sedere." — » ex suo dapibus vesci soliti." (σύσσιτοι).

sed non nisi ad tempus institutas, neque ad omnia omnino quaecunque vellent sacra obeunda, verum ad ea, quae in unius tantum Dei Deaeve honorem fierent; cujus sacris peractis, alia societas contraheretur necesse erat, si posthac iidem sodales (1) alii Numini sacra essent facturi; secus ac in collegiis eranistarum (2) obtinebat, de quibus sequenti capite plura videbimus (3).

(1) Illi sodales conveniunt cum *Thiasotis* Graecorum, haud secus ac Romae sodales Titii. Vid. Tacit. Annal. I. 54. (2) Aliud quid esse *sodalitatem*, aliud quid *collegium*, suspicari licet ex Cicerone in Bruto C. 46. (3) Sodalitates Romanorum cum ἐράνοις (collegiis) Atheniensium comparat Klenze, V. Cl. in Fragm. Legis Serviliae Repetundarum, Berol. 1825. p. 15. sqq. not. 9.

CAPUT II.

DE ERANO, SIVE COLLEGIO, DEQUE EJUS ARCA, PRAEFECTO, SOCIIS, ACTIONIBUS ET JUDICIIS.

§. 1.

Ecce, nos jam manu quasi deductos ad Erani genus, quod hoc capite latius exponemus; quare multa de eo praefari non est consilium. Collegia, qualia apud Athenienses inprimis audiebant sacrificandi illa sodalitia, quorum socii vocabantur ἐρανισταὶ et θιασῶται, non parvi fuisse momenti monuisse sufficiat. Quid enim ubique, si non commodius, at certe jucundius habetur, quam hominum societates certa lege statoque tempore coeuntes, ita ut inter socios sit bonorum malorumque consortium? (1). Sed quum hujusmodi consociationes sive sodalitates (ἑταιρεῖαι) malo nonnunquam consilio coïrent, collegii liciti speciem prae se ferentes, evenit ut respublica Atheniensium, haud secus ac postea imperium Romanum, plus damni quam emolumenti inde caperet. Hinc non immerito caverunt Legumlatores Romani, ne collegia illicita coïrent, animadvertentes idem jam ex lege Solonis placuisse Atheniensibus (2).

Collegiis licitis vero erat ex lege Solonis conces-

(1) Sic in lege Solonis vocabantur ὁμόταφοι cet. Vid. Petit. Comm. ad LL. Att. p. 524. — De utilitate porro collegiorum stante republica Atheniensium, vid. Boeckh. Staatshaush. der Athen. P. I. p. 164. (2) Vid. Petitus ad LL. Att. p. 524. sq.

sum, quas vellent pactiones inire, modo ne publica lex obstaret, quam Solonis legem ad verba descripsit Gajus, Lib. IV. ad legem XII. Tabularum, in fr. 4 D. de coll. et corp., ubi legimus:

»Ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ »ναῦται, ἢ συσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ »ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅ, τι ἂν »τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, »εἰ μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα." (1).

Hinc facile videre est, varia antiquitus fuisse collegia licita, alia alio consilio instituta, quae singula quasi concionem efficere ipsa Solonis lex disertis verbis indicare mihi videtur: ibi enim docetur aliàs populares (2), aliàs phratores, aliàs alios eadem negotia licita obeuntes, liberam quidvis contrahendi habuisse potestatem. De cujus legis verbis germanane an spuria sint disserere non est hujus loci (3). Insistamus tamen parumper verbis *ἱερῶν ὀργίων ἢ ναῦται;* quae, quippe impedita et vitiosa, ut restituerent, alii alia tentarunt. Quibus haud scio an res feliciter successerit. Sic alii *ἱερῶν ὀργιῶν μυσταὶ* (4); alii *ἱερ. ὀργ. μηνυταὶ* legunt (5). Quo facto illud *ἢ ναῦται* plane excideret, contra quam lex requirit. Namque Aristoteles, de collegiis itidem et corporibus loquens, memorat quoque *πλωτῆρας*, ipsaque corpora *κοινωνίας* vocat (6). Quare

(1) V. Petit. l. l. add. universe Doctiss. van Wassenaer in Dissert. ad Tit. Dig. de coll. et corp., recusa in Jurispr. antiqua Fellenbergii T. I. p. 402. sqq. (2) *Populares* cum dico assentior Salmasio, pro *δῆμος* legenti *δημοὶ* i. e. *δημόται*. Vid. Miscell. defens. C. 4. p. 99. (3) Vid. Petitus ad LL. Att. l. l. ibique Wesselingius; add. Cl. Klenze Fragm. Legis Serviliae repetundarum. p. 16. not. 9. (4) Vid. Herald. Observat. et Emend. C. 42. (5) Vid. Cujacius Observ. VII. 31. et Basilic. (6) Vid. Ethic. VIII. 11.

haud abs re esse putaverim, si legas *ἱερῶν ὀργίων κοινωνοὶ ἢ ναῦται*, ac si vox *κοινωνοὶ* exciderit. Cujusmodi *navicularioram* corpora inter Romanos quoque fuisse frequentia, non est cur pluribus dicamus (1). Sed de vera lectione judicent peritiores (2).

§. 2.

Corpora sive collegia inter Athenienses fuisse varia, auctor est Aristoteles, quum dicat alia collegia utilitatis et quaestus gratia, alia tam utilitatis quam voluptatis causa convenire: *αἱ μὲν οὖν ἄλλαι*, inquit, *κοινωνίαι κατὰ μέρη τοῦ συμφέροντος ἐφίενται· οἷον, πλωτῆρες μέν, τοῦ κατὰ τὸν πλοῦν, ἢ πρὸς ἐργασίαν χρημάτων, ἤ τι τοιοῦτον* (3); quae collegia recte animadvertit Salmasius fuisse illas *ἐμπορῶν κοινωνίας* et *ἑταιρείας*, quarum dicta lex Solonis meminit (4); namque uti illi *πλωτῆρες* sunt *ναῦται*, sic omnes *πρὸς ἐργασίαν χρημάτων* societatem ineuntes, sunt illi *ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι ἢ πρὸς ἐμπορίαν* (5). Recte ad hujusmodi collegia refert Aristoteles illud *τῶν ἐρανιστῶν*, qui tempore sacrorum coïbant ad epulas una celebrandas (6), cum eos addicat iis collegiis,

(1) V. fr. 1 D. quod cujuscunq. univers. nom; fr. 5 D. de muner. et honor; fr. 5. §. 3. et 14 D. de jure immunit; add. Suetonius in Claudio C. XVIII. (2) Sic Salmasius legit *ἱεροποιοὶ ἢ ὀργεῶνες*. Vid. Miscell. defens. C. 4. p. 100. sq.; quam lectionem probavit Cl. Klenze l. l. — Bynkershoekius in Observ. I. 16. vulgatam lectionem tuetur; quam suspectam esse crediderim. (3) Aristot. Ethic. VIII. 11. (4) De Usuris C. 3. p. 47. (5) Pro *ἐπὶ λείαν* Petitus ad LL. Att. p. 525. legit *λεῖον*. Conf. tamen Wesselingius ad h. l. (6) Sumtus, quos requirebant sacrificia, ex agrorum sacrorum reditibus interdum fieri solere, auctor est Isocrates in Areopag. C. 11, ubi egregie annotavit Doctiss. Bergmannus, praeceptor quondam meus aestumatissimus. Vid. ejus Specim. Academ. inaug. exhibens Isocratis Areopagiticum, cet. L. B. 1819. p. 146. Sed haec non obstant, quo minus sodales suam quisque pensionem in arcam quandam communem inferant; de qua collatione conf. infra §. 5. sqq.

quae cum voluptatis et delectatiónis, tum vero etiam utilitatis causa contrahebantur: ἔνιαι δὲ τῶν κοινωνιῶν, inquit, δι' ἡδονὴν δοκοῦσι γίγνεσθαι, θιασωτῶν καὶ ἐρανιστῶν· αὗται θυσίας ἕνεκα καὶ συνουσίας (1).

§. 3.

De his Thiasotis jam mentionem videmus factam in ipsa Solonis lege, ubi iidem fere videntur fuisse, qui Eranistae: Athenaeus enim θίασον et ἔρανον idem esse docet: καλεῖται δὲ, inquit, ὁ αὐτὸς καὶ ἔρανος, καὶ θίασος· καὶ συνίοντες ἐρανισταὶ καὶ συνθιασῶται (2). Sic etiam Pollux συσσιτίαν, θίασον et ἔρανον synonyma facit (3). Atqui non est, quod hinc colligamus ea plane esse eadem, quum de iis tantum sermonem injecerit Pollux, ut ostenderet omnia hujusmodi convivia inter sodales celebrari fuisse solita. Licet igitur ἔρανος sit θίασος et συσσιτία, non tamen ideo haec convivia vocantur ἔρανοι; alioquin ἔρανος et εἰλαπίνη, facile confunderentur (4): quod quidem fieri non posse jam probare conatus sum. Sed haec nil nos morentur. Ἔρανος, ut in viam redeamus, est vox generalis, a qua differt θίασος, tanquam species a genere. Quocirca huic meae sententiae minime repugnare videtur locus Athenaei modo laudatus, dicentis ὁ αὐτὸς: namque convivium, quod celebrant Thiasotae, commode vocari potest ἔρανος, quâ voce interdum totum collegium intelligitur. Sic enim Harpocrationem vocem accepisse existimo, ubi exponit: ἐρανιστὴς· ὁ τοῦ ἐρανου μετέχων. Pollux ἐρανιστὰς comparat cum συμ-

(1) Aristol. Ethic. l. l. (2) L. VIII. p. 362. *E*. (3) L. VI. s. 7. (4) Pollux enim loco cit. περὶ συμποσίου loquens, ad convivia, quorum species memorat, refert quoque εἰλαπίνην, cum dicit τὰ δὲ πράγματα, πότον, συσσιτίαν, συμποσίαν, ἢ σύνοδον τὴν ἐν οἴνῳ, ἢ θίασον, ἢ εἰλαπίνην, ἢ ἔρανον, ἢ ἑστίασιν κ. τ. λ. Cff. interpretes ad h. l.

μορίταις (1), de quibus Harpocration dicit: *συμμορίται δὲ εἰσὶ οἱ τῆς αὐτῆς μετέχοντες συμμορίας* (2). Pulcherrime se habet ille locus, et viam quasi sternit, ut intelligamus eranistas suam quemque portionem conferre, haud secus ac fit inter symmoritas (3). Ad Eranistas referri quodammodo possunt *collegia sodalitia*, quorum fr. 1 D. de coll. et corp. mentio occurrit (4). Qualia Graeci Juris interpretes *συστήματα* vocant: sic Graece in Basilic. *συστήματα ἑταιρικὰ* reddita sunt (5).

§. 4.

Etiamsi ex Solonis lege illi, qui in hujusmodi collegium admittebantur, vocari solerent *σύσσιτοι*, nil est, quod credamus eos convivii tantum ineundi causa convenisse: tantum enim abest, ut hoc consilio societatem contraxerint, ut de sacrificiis potius cogitaverint; sed quandoquidem cum sacrificiis

---

(1) L. VIII. s. 144. ibique interpretes; cf. Salmas. de Usur. C. 3. p. 51; add. Miscell. defens. C. 2. p. 29 et 31. (2) V. in voc. *Συμμορία*, ibique Valesius p. 72 et 73, qui docet illud munus (*τοῦ συμμορίτου* scil.) non fuisse personale, sed possessionibus indictum, ita ut ne pupilli quidem hujus oneris immunes essent. Vid. Demosth. contra Aphobum Orat. I et II. passim, vid. Tom. II. R. Cf. Salmas. Miscell. defens. C. 2. p. 31. (3) De Symmoriis vehementer errasse Salmasium (in Miscell. defens. C. 2. p. 30.) docet Heraldus in Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 2. Quae tamen quum ad nostram materiem minus faciant, omitto prudens, ne quid hac in re alterutrius sententiae detrectetur. Glossae Graeco-Latinae: *συμμορία* exponunt, *contubernium*, *factio*, *collegium*. Vid. porro Demosthenes in Orat. *περὶ συμμοριῶν*. p. 177. sqq. T. 1. R., ubi Libanius in Orationis argumento dicit: *συμμορία παρὰ τοῖς ἀττικοῖς, τὸ τῶν λειτουργούντων σύνταγμα*. Caeterum ad hanc Orationem conferri meretur Doctiss. Amersfoordt in Disp. de Atheniensium Symmoriis. L. B. 1821. (4) Conf. fr. 4 D. de coll. et corp. (5) V. Salmas. de Usur. C. 3. p. 51.

epulae erant conjunctae, ut jam in conviviis solutioribus obtinuisse vidimus (1), non erat incongruum, ut sacra inciderent tempore messis, quo major esset fructuum copia, quorum simul primitias consecrabant, ut honores Diis tribuerent, sibique requiem cum voluptate conjunctam praeberent (2). Quare illi σύσσιτοι, ut animadvertit Salmasius (3), minime confundendi sunt cum iis, qui *de symbolis* coenabant, quorum nullum erat collegium, ut ex Terentiano quodam loco jam vidimus (4). Quid tandem Salmasio in mentem venerit, dicenti unam τῶν ἐρανιστῶν sodalitatem apud Athenienses fuisse, quae nulla alia de causa conveniret, nisi ut unâ epularentur nonnulli, societate ad hoc tantum contracta, non video (5). Nec satis suam sententiam probat argumento, quod ex Hesychio elicit, ἔρανον esse τῶν πολλῶν εὐωχίαν: est enim vocis εὐωχία ea notio, quae ἐράνοις, si eos a principio unde manaverint, repetas, praecipue inest: sed inde non constat et ne suspicari quidem licet, collegia simpliciter convivantium fuisse; collegia, inquam, quorum arca esset communis, in quam singulis mensibus conferrent convivae *stipem sodalium*, quam ἔρανον vocat Salmasius (6). Et si ad Pollucis locum, cui titulus est, περὶ συμποσίου, quo Salmasii sententia nititur,

(1) Vid. supra C. I. §. 1. (2) Aristot. Ethic. VIII. 11. (3) Vid. de Usuris C. 3. p. 51. (4) Conf. supra C. I. §. 2. (5) De Usuris C. 3. p. 51, ibique in Omissis p. 680, ubi discrimen indicat inter *collegia* et *sodalitates*, quam distinctionem ab eo, ubi de συστήμασι, quae sint, docet, non videmus factam. Sed quum Salmasium sibi oblocutum esse verosimile non sit, videtur altera ejus sententia inservire interpretationi prioris, ita ut dubium non sit, quin *collegia* latiori sensu accipiantur quam *sodalitates*, quas dicit contrahi inter eos, qui religionis et delectationis gratia consociantur. (6) Vid. de Usuris, C. 3. p. 43.

attendamus (1); haud scio, an non ex alio Pollucis loco, qui inscribitur *περὶ ἐράνων καὶ τῶν περὶ αὐτούς*, contrarium elici possit (2). Quocirca ne sacrificantium quidem epulas semper ad collegia eranistica retulerim, quamquam illae sodalitates multum ab iis mutuabantur; uti jam superiori capite ostendere conatus sum.

§. 5.

Convivium *ἐρανιστῶν* non tantum, verum etiam eorum collegium dicebatur *ἔρανος*, tanquam *τὸ κοινὸν τῶν ἐρανιστῶν* (3). Ad erani instar quoque collegia, quae fr. 4 D. de coll. et corp. Solonis legi tribuuntur, fuisse instituta, infra, ubi de legibus et judiciis eranisticis disseremus, fusius erit dicendi

---

(1) Vid. Pollux L. VI. s. 7 et 8, ibique Interpretes; conf. Salmas. de Usur. C. 3. p. 44 et 51. (2) V. Pollux L. VIII. s. 144, ibique Interpretes. (3) V. Pollux L. VIII. s. 37 et 144. ibique Jungermannus. Hac significatione *κοινὸν* saepissime occurrit; sic dicitur *τὸ κοινὸν Θεσσάλων*. Vid. fr. 37. D. de Judic., conf. Salmas. de Usur. C. 3. p. 48; Miscell. defens. C. 2. p. 26, C. 3. p. 87, C. 4. p. 109; add. Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 4, ubi illud *τὸ κοινὸν* prolixe exponit, nec, mea sententia, minus recte dicit illud de *arca communi* esse accipiendum; non tamen ita, ut Salmasii sententiae quid derogetur, negantis eo *convivatorum symbolam* intelligi (multum enim interest inter unam *symbolam* et totam *arcam*); sed quo magis ex collegii natura sequatur, sodales, uti omnia, sic quoque arcam habuisse communem. Praestat tamen *τὸ κοινὸν* accipi pro *collegio*, tanquam hominum societate, uti Cicero usurpavit *commune:* sic v. gr. in Verrem I. 38. occurrit *commune Milyadum;* II. 46. *commune Siciliae.* Cf. Heinsius ad Ovid. Metam. XII. 7. — Omnia enim, quae cuidam collegio, sive societati proposita erant, socii habebant communia. Neque alia docet Boeckh., Staatshaushalt. der Athener, P. I. p. 264. ubi legimus: »*ἔρανος* heiszt die gesellschaft selbst..... die mitglieder eranisten, deren gesammtheit die gemeinheit der eranisten (*τὸ κοινὸν τῶν ἐρανιστῶν*)."

locus. Haec enim collegia fuisse licita, ipsa Solonis lex indicat: illicita vero collegia jam inter Graecos coiisse, auctor est Aristoteles, qui omnes *ἑταιρίας* e tyrannide exterminatas voluit, quippe quae iis, qui rerum potiti essent, suspectae viderentur et haberentur, quorum intererat *μήτε συσσίτια ἐᾶν, μήτε ἑταιρίαν, μήτε παιδείαν, μήτε ἄλλο μηθὲν τοιοῦτον, ἀλλὰ (πάντα) φυλάττειν, ὅθεν εἴωθε γίνεσθαι δύο, φρονήματά τε καὶ πίστις..... καὶ πάντα ποιεῖν, ἐξ ὧν μάλιστα ἀγνῶτες ἀλλήλοις ἔσονται πάντες, ἡ γὰρ γνῶσις πίστιν ποιεῖ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους* (1). Sic Isocrates monuit *ἑταιρείας* non esse habendas, nisi a summa auctoritate essent permissae (2). Collegia illicita habentur quae publica auctoritate non sunt constituta (3); qualia Jure Romano prohibita erant, ne factiones et seditiones sub titulo collegii nascerentur (4).

Quum tamen veteres Christiani eo pervenissent *κακοζηλίας* ut *θιασῶτας* ad religionem Christianam transferrent, accidit, ut non nisi magnis cautionibus hujusmodi *ἑταιρεῖαι* essent toleratae, quandoquidem inde praecipuae persecutionum adversus Christianos excitatarum oriebantur causae. Quare Maecenas monuit Augustum, ut omnes exteras suspiciones procul ab imperio arceret, quippe quae alienigenas quasi Deos introducerent, adeoque multos ad seditiones impellerent, ut tradit Dio Cassius (5), his verbis: *ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν, κἄκ τούτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ συστάσεις, ἑταιρεῖαί τε γί-*

(1) Aristot. Polit. V. 11. edit. Duvallii. (2) In Orat. quae inscribitur Nicocles. Conf. Herald. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 5. (3) Conf. fr. 3. §. 1, D. de coll. et corp.; fr. 1. pr. D. quod cujuscunque univers. nom. (4) Vid. Sueton. in Augusto C. XXXII. (5) L. LII. p. 490. *E.*

γνονται, ὅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει. Neque sine causa id verebantur illi, qui Christo nomen nondum dederant: minime enim conveniebat Thiasotarum laetitia consilio religionis Christianae propagandae, quum falsae potius quam verae religionis speciem prae se ferret. Quare Cajus Caesar Judaeis tantum impedimento non fuit, quo minus coetus inirent et convivia celebrarent, ut tradit Flavius Josephus, cum dicit: καὶ γὰρ Γάϊος Καῖσαρ..... ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους Ἰουδαίους οὐκ ἐκώλυσεν, οὔτε χρήματα συνεισφέρειν, οὔτε συνδεῖπνα ποιεῖν (1). Nihil enim erat, quod ab hujusmodi coetibus arceret Cajus Caesar Judaeos, utpote veteri religioni addictos, imperioque Romano subditos; a quibus nullas moveri seditiones satis sibi habebat persuasum. Trajanus postea, cujus erga Christianos mitius erat ingenium, super Amisenorum libello de Eranis oblato rescripsit, se iis quidem qui Amisi essent permittere, *eo facilius si tali collatione non ad turbas et illicitos coetus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam uterentur* (2). Ita in plerisque Graeciae obtinuit civitatibus, postquam ad Romanos summa rerum pervenit; secus atque olim Athenis, ubi illa collegia, quae δι' ἡδονὴν conveniebant, casum sodalium afflictum non sublevabant, nisi ex eo, quod negotiis peractis in arca societatis supererat (3).

Ad Trajani verba *sed ad sustinendam tenuiorum inopiam*, reliquum est animadvertere, quinam illi *tenuiores* sint; equidem eos collegii socios putaverim, non vero vulgares homines, qui ex collegio

(1) Vid. Antiq. Jud. XIV. 10. §. 8. edit. Richteri. Conf. Salmas. Miscell. defens. C. 3. p. 88. (2) Vid. Plin. Epist. X. 93 et 94. (3) Vid. Salmas. de Usur. C. 3. p. 50.

sublevarentur (1). Sic enim Marcianus fr. 1 et 3. D. de coll. et corp. meminit Collegii tenuiorum, quibus quoque omnia licebat pacisci, quae lege non essent vetita: erat enim Constitutionibus Principum permissum *tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, ne sub praetextu ejusmodi collegium illicitum coeat* (2).

In tenuiorum collegia interdum servi, dominis volentibus neque ignorantibus, recipiebantur (3), ubi ex peculio quaestum faciebant, menstruamque stipem (ἔρανον) in arcam communem inferebant; sic enim Glossae Veteres: *ἔρανος, stipes sodalium* (4).

§. 6.

Ad stipem quod attinet, eam fuisse menstruam multa alia loca docent. Sic etiam accepimus ἔρανον fuisse illam collationem, quam primi Christiani in arcam quamdam inferebant, unde pauperes humarentur et alerentur, de qua Tertullianus sequentia narrat: »Etiamsi quod arcae genus est, non de ho»noraria summa, quasi redemtae religionis congre-

(1) Fac corpora ad tenuiorum inopiam sustentandam fuisse, id quod antea Athenis non usu venerat; non tamen inde confici potest, extraneos ex arca eorum communi juvari solitos, ut putat Heraldus, cum dicat ἐρανιστὴν beneficii eranistarum esse participem. Egregie fallitur: uti suo loco indicabo. Vid. C. III. §. 11. infra. Neque de hujusmodi erano erant collegia, ut immerito putat Heraldus. Vid. Observ. et Emend. C. 43; Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 4. Hinc Reiskium credo in Indice ad Demosthenem p. 368. Vol. IV. in errorem incidisse, ut crederet Athenis Collegia (ἐράνους) fuisse, nulla alia de causa instituta, nisi ut amicorum rebus adversis quovis modo subvenirent illius collegii socii. Eadem etiam Casauboni erat sententia ad Theophr. Char. C. XV. §. 2. Sed a summis illis viris non nisi invitus discedo. (2) Vid. fr. 1. D. de coll. et corp. (3) Vid. fr. 3. §. 2. D. de coll. et corp. Conf. Herald. Observ. et Emend. C. 43. (4) Vid. §. 4. supra. add. Salmas. de Usur. C. 3. p. 43.

»gatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, »vel cum velit, et si modo possit, apponit. Nam »nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi »deposita pietatis sunt, cet. (1)."

Hinc colligi potest neminem ad hujusmodi stipem statis temporibus conferendam potuisse cogi; quod tamen pium institutum quo magis procederet, fuisse quandam societatem sive collegium, cujus haec arca esset communis, verosimile est. Ex hac pecunia etiam *ἀγάπας* celebrari solitas crediderim. Quae convivia respondere *ἑταιρικοῖς* illis conviviis, quorsum *θιάσους* referunt, putat Salmasius: »Cum enim, »*inquit*, pauci essent Christiani in singulis urbibus »circa initia nascentis Ecclesiae, quicunque Christo »nomen dederant, quasi unum constituebant et »conflabant *ἑταιρικὸν σύστημα*, iisdem sacris partici»pantes, una convivantes et communem arcam ha»bentes (2)." Erant enim *ἀγάπαι* communia Christianorum convivia, sic vocata quod partim retinendae mutuae caritatis et conjunctionis causa, partim propter alimoniam Clericorum et pauperum, essent

(1) Vid. Apologet. C. XXXIX; conf. Salmas. de Usur. in Omissis p. 680; Herald. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 5, ubi *τὸ κοινὸν ἐρανιστῶν* non immerito putat fuisse arcam ex fidelium Eranis instructam, ita ut illi *ἔρανοι* essent deposita pietatis (*ἀπόθετα χρήματα*). Ne quis tamen hujusmodi collegia referat ad *ἐράνους* amicorum indigentium. — Accedebat enim haec fidelium collatio magis ad *ἐλεημοσύνην*, quae clam in pauperes erogabatur. Vid. porro Salmas. de Usur. C. 21. p. 654. sqq. Conf. Lucae Actor. II. 44. sq.; IV. 34. sq.; V. 2; quae S. Scripturae loca, quamvis *omnium bonorum communionem* spectare possint, a fanaticis tamen pessime et malo sensu accipiuntur. Sed recte omnino hanc *communionem*, non minus quam Pythagoricam illam *τὰ τῶν φίλων κοινὰ κ. τ. λ.* explicat Salmasius de Usur. l. l. (2) Vid. Salmas. Miscell. defens. C. 3. p. 88. Conf. C. 4. p. 148.

instituta. In his autem conviviis sacra etiam Domini coena solebat celebrari. Sic Tertullianus in Apologet. C. XXXIX. »Coena nostra de nomine rationem »suam ostendit: vocatur ἀγάπη, id quod *dilectio* pe»nes Graecos est." Sed haec de iis pro nostro consilio dicta sufficiant (1).

Ad collegia eranistica facile referri potest ἔρανος, qualem Xenophon alter in κυνηγετικῷ appellat collationem Gallis veteribus venatoribus usitatam, qui in arcam (θησαυρὸν) ad hoc destinatam, pro fera, quam venando quisque ceperat, stipem inferebant, unde annua die sacra Dianae fieri solebant. Titulus Capitis est: Περὶ τοῦ Κελτῶν νόμου, καὶ τοῦ ὑπ' αὐτῶν γινομένου ἐράνου τῇ Ἀρτεμίδι (2). Licet hic menstruae collationis mentio non fiat, commode tamen haec venatorum collatio ad ἐράνου genus, quod inter collegiatos obtinet, referri potest: venatores enim societatem iniisse, arca eorum communis satis indicare videtur. Sed erat societas quaedam periculosae plena aleae.

§. 7.

Quum igitur collegia haberent arcam communem (3); de illa arca pauca videamus. Haec enim arca erat quasi medulla totius collegii, quâ sublatâ universa societas corrueretur necesse erat; accipitur igitur pro tota summa collecta, sive collata. Nemo enim in collegium recipiebatur, nisi qui aliquid

(1) De his conviviis conferri possunt, praeter S. Scripturae loca (1 Corinth. XI. v. 16—34. et Epist. Judae v. 12.), auctores, quos laudat Stephanus in Thesauro L. Gr. voc. Ἀγάπαι; add. Schleusnerus in Lex. in N. T. et alii. (2) Vid. Salmas. de Usuris, in Omissis p. 680. (3) Vid. fr. 1. §. 1. D. quod cuj. univers. nom.; conf. Wassenaer, Dissert. ad Tit. Dig. de coll. et corp. C. 5. in Jurispr. Antiq. Fellenbergii T. 1. p. 426.

conferret; quod quidem menstrua antiquitus die fieri erat mos, ut auctor est Harpocration (1), quum dicat: *καὶ τὴν φορὰν, ἣν ἑκάστου μηνὸς ἔδει καταβάλλειν, εἰσφέρων;* vocem *φορὰν* significare *ἔρανον*, tanquam pensionem, jam supra inculcavimus (2); unde dixerunt veteres *κατενεγκεῖν τὸν ἔρανον* et *πληρώσασθαι τὸν ἔρανον*, de iis, qui partes suas implebant in solvenda stipe nec bonam ejurabant copiam. De vocibus *πληρώσασθαι*, *πληρῶσαι* et *πλήρωσις* infra suo loco dicemus (3). Hoc sensu *ἔρανος* dicitur *συμβολὴ*, *καταβολὴ*, *collatio;* sive *συλλογὴ* (4), haud secus ac Cicero usurpat *collectam* (5).

§. 8.

Haec igitur pensio menstrua videtur non potuisse negari; quod qui facerent, dicebantur *ἐκλιπεῖν φορὰν* (6). Recte, mea sententia, animadvertit Heraldus, singulis mensibus hac de re judicio disceptari fuisse solitum: at minus recte, ut a viro summo cum verecundia discedere liceat, hanc *φορὰν* retulit ad aliud erani genus, quod *extraordinarium* vocat; quo, me judice, nullo pacto referri potest, uti in-

(1) In v. *Ἐρανιστής*. (2) Eadem significatione *ἔρανος* occurrit apud Aristoph. Lysistr. v. 654.

» *Τὸν ἔρανον, τὸν λεγόμενον παππῶον ἐκ τῶν Μηδικῶν.*''

ubi dicit Spanhemius ad Callimach. in Hymn. in Cerer. v. 73. *ἔρανον* fuisse pecuniam in aerarium, pro facultate uniuscujusque, belli Persici temporibus ab Atheniensibus collatam; ad quem Aristoph. locum conferri possunt Schol. edit. Dindorfii, p. 740. Sed vide an non ille locus ad *ἔρανον* amicorum indigentium referri possit, quem equidem ad collegia retulerim: praecedit enim *τοὔρανου γάρ μοι μετέστι* (v. 652.) (3) V. Salmas. de Usur. C. 3. p. 48; Miscell. defens. C. 2. p. 29; Herald. Observat. et Emend. C. 43; add. Pollux L. VIII. s. 144. (4) De his vocibus, quae cum *φορᾷ* synonymae sunt, vid. supra Introd. §. 3 et 5. (5) De Oratore II. 57. Conf. C. I. §. 8. supra. (6) Vid. Salmas. de Usur. C. 3. p. 48; Herald. Observat. et Emend. C. 44.

fra, ubi de illo erano expositurus sum, ostendere conabor (1). Ego vero valde dubito, an *ἔρανος extraordinarius* fuerit (2).

Si quis igitur stipem ex lege societatis solvere neglexisset, res deferebatur ad Judices, qui de litibus ad judicia eranistica (*ἐρανικὰς δίκας*) pertinentibus, disceptabant, secundum certas leges (*ἐρανικοὺς νόμους*) quibus omnes collegii socii tenebantur, ut scirent quomodo in societate singula essent praestanda; haec judicia habita videntur singulis mensibus, si Suidae fidem habeamus, dicenti: *ἐρανικαὶ, ὅτι ἔμμηνοι δίκαι, αἵτε ἐμπορικαί* (3). Quoties igitur conveniebant, simul conferre cogebantur, ne judicio fierent obnoxii. Quatenus vero de pensionibus inferendis cautioni sive sponsioni locus fuerit, statuere non ausim (4). Si vero satisdari potuerit, putem, id non aliter factum esse, nisi cautio, sociis volentibus, judicio esset comprobata; quo firmius staret societas, neque sponsorem pro socio haberent eranistae.

De litibus, inter eranistas ortis, Heraldus putat cognovisse collegium eranistarum (5); quod ut admittam, vix adduci possum; crediderim potius cum Salmasio rem delatam esse ad novem Archontum collegium, quorum sex Thesmothetas de actionibus eranisticis judicasse facile mihi persuasum habeo (6).

---

(1) Herald. Observ. et Emend. C. 43. (2) Vid. infra C. III. §. 12. (3) Suidas in v. *Ἐρανικαὶ*, ibique Kusterus. Harpocrat. in v. *Ἔμμηνοι δίκαι*. Pollux L. VIII. s. 63 et 101; add. Boeckh. Staatshaushalt. der Athen. P. I. p. 54. (4) Cf. tamen Harpocrat. in v. *Ἐρανιστὴς μέντοι κυρίως..... τὸ δὲ ὄνομα παρὰ Λυσίᾳ ἐν τῷ πρὸς Ἀριστοκράτην περὶ ἐγγύης ἐράνου, εἰ γνήσιος*. (5) Herald. Observ. et Emend. C. 44. (6) Vid. Pollux L. VIII. s. 88; Salmas. Miscell. defens. C. 2. p. 52; conf. Sigon. de Rep. Ath. IV. 3; add. Petitus ad LL. Att. p. 518.

Sed de judiciis, quo pertineant, infra erit dicendi locus. Quae licet non ad omnia eranistarum collegia, verum magis ad ea, quae quaestus gratia essent instituta, pertinerent; non tamen inde sequitur, nullam iis, qui religionis causa coïrent, pensionem fuisse impositam: accepimus enim jam supra hujusmodi socios a sodalitate potuisse arceri: verum enim haec sodalium de sodale deliberatio non est referenda ad judicia eranistica, ac si in collegio eranistarum posset disceptari, si quid socius contra leges fecisset. Si igitur hinc Heraldus sibi errorem contraxerit, nil impedit, quo minus in aliam sententiam eamus.

§. 9.

Antequam de collegii Praefecto, qui simul arcae praeerat, dicamus, prius est ut de ejus sociis exponamus: illi enim vocabantur *ἐρανισταί*. Sic Harpocratien habet: *ἐρανιστὴς· μέντοι κυρίως ἐστὶν ὁ τοῦ ἐράνου μετέχων καὶ τὴν φορὰν, ἣν ἑκάστου μηνὸς ἔδει καταβάλλειν, εἰσφέρων. κ. τ. λ.* Videamus igitur, quid sit *μετέχειν ἐράνου?* Res facilior est, quam ut ei diutius inhaereamus. Sed Heraldus haec verba ita accipit, ut notionem vocis *ἐρανιστοῦ* mirifice pervertat, affirmans *μετέχειν ἐράνου* dici eum, qui erani quidem particeps sit, sed non aliter, ac si nihil nisi commodum ex erano in eum redundaret. Hinc illud *μετέχων* ad aliud erani genus, unde miseriâ afflicti juvarentur, refert (1): quo tamen, mea sententia, nullo pacto pertinere potest. Cujus rei infra suo loco rationem reddere conabor.

(1) Herald. Observ. et Emend. C. 43 et 44; Id. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 4, ubi varia affert, quibus suam sententiam probet, argumenta, quae eo valent, ut credat, *τὸν τοῦ ἐράνου μετέχοντα* ita commodi participem esse, ut contulisse videatur; sed nulla fuisse hujusmodi collegia jam obiter monui. — Vid. supra §. 5. in notis.

Salmasius tamen, idque, ut arbitror, rectius, *ἐρανιστὴν* ex Harpocratione interpretans, illud *ἐράνου μετέχων* refert ad quemvis collegii socium (1): *ἔρανος* enim hoc loco proprie significat collegium, quam notionem jam supra intulimus, ubi voci *ἔρανος* respondet *τὸ κοινὸν τῶν ἐρανιστῶν*, ita ut *ἔρανος* sit 1°. *Collatio* singulorum, qui erani sunt participes, h. e. eranistarum. 2. *Convivium*, quod ab iis solebat iniri. 3. *Collegium* ipsum, tanquam tota summa collecta sive collata. Quoties igitur vox *ἐρανιστὴς* occurrat, semper de collegio eranistarum cogitemus oportet, uti jam capite antecedenti, cum de conviviis sermo erat, exposui.

Hi eranistae quovis mense in arcam communem inferre solebant pensionem (*τὴν φορὰν, ἣν ἑκάστου μηνὸς ἔδει καταβάλλειν*). Erat igitur *ἐρανιστὴς* quivis collegii socius, cujus omnia, quae collegio sive bona sive mala acciderent, erant communia. Quemadmodum igitur *ἐρανισταὶ* et *θιασῶται* synonymi habebantur: ita omnia omnino corpora, quae menstruam stipem (2) conferunt, ad eranistarum collegia referri possunt; neque adeo interest, utrum *ἐμπόρων κοινωνίαι*, an aliae ad hanc normam institutae societates sint. Quare *ἐρανιστὴς* non nisi activa significatione intelligi oportet, licet Heraldus passivam voci significationem tribuerit, ut modo monuimus.

---

(1) De Usuris C. 3. p. 47; Miscell. defens. C. 2. p. 31. (2) Voces *stipes* et *pensio* nostra in re synonymae sunt; minus recte igitur Salmasius in Miscell. defens. C. 2. p. 31 sq. animadvertit stipem inferre non esse collegii. Sed merito illam menstruam pensionem vocabant *stipem*, ut inde effici posset, quantulum quovis mense esset inferendum; id quod jam affirmaverat Salmasius in libro de Usuris C. 3. p. 48; ibid. in Omissis p. 679; conf. fr. 1. pr. D. de coll. et corp.; add. Tertullianus in Apologet. C. XXXIX.

Vocabantur illi ἐρανισταὶ interdum πληρωταὶ, ut recte animadvertunt interpretes, sed alius alia ratione. Πληρωτὴς enim proprie erat is, qui integram suam pensionem in arcam inferebat (1), non vero ille, qui pro amicis egenis colligendi munus suscipiebat, ita ut quod deesset de suo suppleret, sive collegii praefectus, qui quod arcae deesset, de suo adderet, ut putat Heraldus (2). Quidquid tamen hujus rei sit, hoc ab omnibus intelligi velim, πληρωτὰς non esse alios, nisi ἐρανιστὰς, qui inde hoc nomen sibi vindicaverunt, quod quisque viritim ad arcam implendam contribueret, ita ut, pro sociorum numero, plenam arca contineret collationem. Neque alio modo mihi videtur πληρωτὴν interpretatus esse Hesychius, qui habet: πληρωτὴς ἐράνου· συναγωγός; ubi συναγωγὸς non significat eum, qui colligit, ut putat Heraldus, sed eum, qui cum sodalibus confert; haud secus ac συναγωγὴν vidimus esse ipsam conferendi actionem: hinc *tributionem*, *pensionem*, tanquam id, quod confertur. Nam συνάγειν idem esse, quod συμφέρειν, supra jam satis me ostendisse arbitror (3).

Cui igitur meae sententiae ut fidem faciam, lubet proferre locum ex Demosthenis epistolâ III^ia^ de Lycurgi liberis, ubi legimus: οὐ γὰρ χρήματα γ' εἶναί μοι προσδοκᾶτε, ἔξω τῶν φανερῶν, ὧν ἀφίσταμαι, καὶ τὰ λοιπὰ βούλομαι συναγαγεῖν (4). Conqueritur

(1) Vid. Salmas. de Usur. l. l.; ibid. in Omissis p. 678. sq. (2) Vid. Observ. et Emend. C. 43 et 44; Observ. ad Jus et Rom. VI. 5, ubi indicat, Salmasium cecidisse sententiâ, cum diceret πληρώσων etiam de amicorum collatione in unius amici commodum accipi posse; id quod antea, et merito, mea sententia, negaverat. Vid. de Usur. l. l.; cff. Miscell. defens. C. I. p. 9, 10. C. 2. p. 35, 36. C. 3. p. 65 et 69. (3) Vid. §. 3. Introd. (4) Vid. p. 1485. Tom. II. R.

nimirum Demosthenes nil sibi esse, quod suppeditet, praeter ea, quae parata habeat; a quibus quoque sibi abstinendum ait; at, si quae forte reliqua sint, ea se collaturum promittit. Hinc satis clarescit verbum *συναγαγεῖν*, ibi non significare *colligere*, sed *conferre*. Quae vero Demosthenes paulo ante protulerat: *ἵνα, εἰ οἷός τε ὦ, τά τε ὀφειλόμενα εἰσπράξας, καὶ τοὺς φίλους ἐρανίσας, κ. τ. λ.* (1), ea ad *ἔρανον* amicorum indigentium pertinent, de quo infra dicemus.

Salmasii vero sententiam, inculcantis *συναγωγὸν* esse eum, qui coetum complet, non esse admittendam cum Heraldo censuerim (2).

Quae cum ita sint, *πληρῶσαι* nil aliud est nisi *εἰσφέρειν*. Nam *πληρωτὴς* intelligitur ille, qui plenam pensionem confert (*πλήρη φορὰν φέρει*), ut recte docet Salmasius (3). Neque illi *πληρωταὶ*, magis quam *ἐρανισταὶ*, cognoscebant de querelis, ut minus recte putat Heraldus, qui de variis litibus, quae huc nullo pacto referri possunt, eos judicasse statuit.

§. 10.

Illos *πληρωτὰς*, sicuti *ἐρανιστὰς*, apparet fuisse *ἰσοτελεῖς*. Quare tantum abest, ut *ἐρανάρχης*, quem *πληρωτὴν* vocat Heraldus, de suo suppleret, ut aequalem cum caeteris partem in arcam inferret (4); hinc *πλήρωσις* significat illam pensionem menstruam eranistis ex lege societatis impositam (5): quivis

(1) Vid. p. 1484. Tom. II. R. (2) Vid. Miscell. defens. C. 3. p. 69. sq.; Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 5. (3) Vid. de Usuris C. 3. p. 48; Miscell. defens. C. 2. p. 36. sqq.; cf. Herald. Observ. et Emend. C. 44. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 5. (4) V. Salmas. Miscell. defens. C. 2. p. 26; C. 3. p. 75, 79, 80, 82 et 87. (5) Salmas. Op. l. C. 1. p. 10. C. 2. p. 21 et 24.

enim eranista non nisi plenam pensionem solvere poterat, ne id, quod deficeret, addere cogeretur. — Sic enim factum esse colligo ex Aristide, qui in Platonica I. p. 102. Tom. II. edit. Jebb., haec habet: *οὐ γὰρ δὴ συνεισενεγκεῖν γε ἐστὶν, ὥςπερ χρήματα· οὔδε ἐράνῳ τὸ ἔλλειμμα ἀναπληρῶσαι* (1). Ille enim Aristidis locus sponte arguere videtur, nullum esse dubium, quin ad eranistarum collegium respiciat, ita ut ille, qui plenam pensionem nondum intulisset, eam implere teneretur: namque hoc indicare voluit Aristides, in erano viritim esse conferendum; quod vero ad illud *ἀναπληρῶσαι* attinet, dicat ea de re Heraldus, quidquid sibi placeat; equidem illud ad collegium eranistarum omnino referendum censeo.

---

(1) Voci *ἔλλειμμα* respondet *ἐλλιπὴς φορά;* vid. Salmas. Miscell. defens. C. 2. p. 45 et 54; cui opponitur *πλήρης φορά;* vid. p. 55. Cf. Demosth. contra Aristogit. *A.* p. 776. Tom. I. R., ubi docet Orator, legibus ita esse obtemperandum, ac si qui sint *ἐράνου πληρωταὶ;* voluit igitur, mea sententia, suum quemque ad salutem reipublicae conferre, cujus singuli cives, haud secus ac eranistae collegii eranistarum, essent participes: verba Oratoris sunt haec: *ἐπειδὴ τοίνυν οἱ νόμοι μετὰ τοὺς θεοὺς ὁμολογοῦνται σώζειν τὴν πόλιν, δεῖ πάντας ὑμᾶς τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥςπερ ἂν εἰ ἐκάθησθε ἐράνου πληρωταὶ, τὸν μὲν πειθόμενον τούτοις, ὡς φέροντα τὴν τῆς σωτηρίας φορὰν πλήρη τῇ πατρίδι, τιμᾶν καὶ ἐπαινεῖν, τὸν δ' ἀπειθοῦντα κολάζειν. ἔρανος γάρ ἐστι πολιτικὸς καὶ κοινὸς, πάνθ' ὅσα, ταξάντων τῶν νόμων, ἕκαστος ὑμῶν ποιεῖ· ὃν ὁ λείπων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολλὰ, καὶ καλὰ, καὶ σεμνὰ, καὶ μεγάλα, ὑμῶν ἀφαιρεῖται, καὶ διαφθείρει τὸ καθ' αὑτόν.* Sic Philippica IV. p. 141. sq. Tom. I. R. legimus: *δεῖ γὰρ οἶμαι τοῖς γονεῦσι τὸν ὡρισμένον ἐξ ἀμφοτέρων ἔρανον, καὶ παρὰ τῆς φύσεως, καὶ παρὰ τοῦ νόμου δικαίως φέρειν, καὶ ἑκόντα ὑποτελεῖν.* Sed integer locus est legendus. — Quem locum si probe attendamus, dubium nobis oboritur, ad quod erani genus referendus sit; ita enim se habent omnia, ut facile ad *ἔρανον* amicorum indigentium, quem tralatitium vocat Heraldus, referri possint. Vid. infra C. III. §. 17 et 18.

Ad quod collegium, mea sententia, etiam pertinet locus Philostrati in Vita Apollonii Tyanii (VI. 2.), quem Casaubonus huc respicere negat (1): sermo enim ibi est de iis, qui jactantiae causa varios se facere sumtus profitentur: ἀλλ' ὁ μέν, inquit, θυγατέρα σκηπτόμενος ἐν ὥρᾳ γάμου, ὁ δὲ υἱὸν ἤδη τελοῦντα εἰς ἄνδρας, ὁ δὲ ἐράνου πληρώσιν· i. e. »alius »filiam simulans se habere nubilem (in cujus igitur »gratiam dos collocanda esset), alius filium pube»rem, cui toga virilis esset danda, alius erani pen»sionem."

Attamen mittamus longam Heraldi hac de re excursionem, dicentis exiguam illam stipem, quam eranistae conferre necesse haberent, non obstare, quo minus quis foeneraret. Hinc illa ἐράνου πλήρωσις, cujus modo Philostratus meminit, inanis esset jactantiae. Sed haec Heraldi sententia magis respicere videtur collegia primis Christianorum temporibus instituta (2). Attici enim scriptores exiguae stipis in arcam inferendae nusquam, quod sciam, meminerunt. Discrimen tamen, quod proponit Heraldus, cum de tenui illa stipe loquitur, inter corpora opificum et collegia eranistarum, eo valet, ut nulla hujusmodi collegia agnoscat, nisi eranos, unde amici egeni juvarentur.

Quemadmodum τὸ ἔλλειμμα opponitur integrae pensioni; sic Athenaeus (3) in Oratione Lysiae contra Aeschinem ὑπόλοιπον φορὰν accipit de eo, quod pensioni absolutae deërat; de qua reliquatione omnino videndus est Salmasius (4), bene causam con-

(1) Vid. Animadvers. in Athen. p. 384. sq. (2) Vid. Tertullian. Apologet. C. XXXIX. (3) L. XIII. p. 612. D., confr. Lysiae fragm. 5. 7. Tom. VI. R. (4) Vid. Miscell. defens. C. 2. p. 45, 46, 54 et 55.

tra Heraldum, cujus alia mens erat, defendens (1). Sed hanc quoque disputationem missam faciamus, quum hoc dixisse sufficiat, facile fieri potuisse, ut alius alio minus contulerit, hac conditione, ut id quod desideraretur, suppleret. An tamen ad id judicio potuerit cogi, non habeo quod affirmem, praesertim si collegia voluptatis causa instituta attendamus; erant enim omnes sodales ἰσοτελεῖς, qui inde dicebantur πληρωταί, quod pro virili quisque parte arcam compleant (2). Quare aliud est nostra in re πληρῶσαι, aliud ἀναπληρῶσαι. Illud nimirum *de virili portione* accipitur, hoc vero *de eo, quod virili portioni deëst.*

Porro eranistarum erat proprium ἔρανον πληρῶσαι, κατεγγυᾶν, ἀποδιδόναι; quae omnia de pensione accipiuntur: namque ἀποδιδόναι non tantum est *reddere*, verum etiam simpliciter *praestare;* id nimirum, quod quis ex pacto, quasi rem creditam, conferre tenetur. Sic etiam nonnunquam apud Latinos *reddere* nil aliud est nisi *dare* (3), uti recte animadvertit Salmasius (4); et sexcenties *reddere* pro *dare*, *facere*, licet prima vice id fiat, occurrit.

Solvebant vel conferebant illi πληρωταί tanquam ἐρανισταί pensionem ἐρανάρχαις, qui arcae collegii praeerant, vel sorte ducti, vel sodalium electi suffragiis, uti auctor est Harpocration in v. *Πληρωταί*, ubi haec habet πληρωταί· ἐκάλουν τοὺς ἀποδι-

(1) Vid. Herald. Observat. et Emend. C. 44. Cf. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 5. (2) Quinam dicantur ἰσοτελεῖς, ostendunt interpretes ad Pollucem. Vid. Kuhnius ad L. III. s. 56. Hemsterhusius ad L. VIII. s. 156. add. Grammatici ibi laudati. (3) Vid. fr. 94. D. de V. S. (4) Vid. Miscell. defens. C. 2. p. 29 et 33, ubi ἀποδιδόναι idem est, quod καταβάλλειν. Vid. Harpocrat. in vocibus, et Glossae VV.; add. Boeckh. Staatshaushalt. der Athen. P. II. p. 362.

δόντας τὸν ἔρανον τοῖς ἥτοι λαχοῦσιν, ἢ ἠρημένοις (1) εἶεν ἂν οὗτοι οἱ παρ' ἡμῖν καλούμενοι ἐρανάρχαι. (2).

Sed de eranarchis antequam agamus, prius est, ut de modo, quo convenerint eranistae, deque consilio ipsis proposito, dicamus.

§. 11.

Vidimus jam supra eranistas tempore sacrorum convenire solitos. Sed quum caeterae societates ad collegii eranistarum instar essent institutae, videntur quoque negotia, quorum causa societas inita erat, ut plurimum, cum sacris fuisse conjuncta. Quotiescunque igitur ob negotia licita simul esse cogerentur sodales, toties eos unâ epulatos esse verosimile est: non enim illa societas erat contracta, ut semper et quovis tempore unà essent, sed ut aliquando, si vellent, unà esse possent. De hujusmodi eranistarum conventu accipienda sunt verba Lysiae de Aeschine Socratico dicentis: ὅσους δ' ἐράνους συνείλεκται, τὰς μὲν ὑπολοίπους φορὰς οὐ κατατίθησιν, ἀλλὰ περὶ τοῦτον τὸν κάπηλον ὡς περὶ στήλην διαφθείρονται (3). Quem locum alii aliter interpretati sunt: Dissentiunt praecipue interpretes in voce συνείλεκται, quod minus recte inculcat Casaubonus

(1) Sic Salmasius legit pro ἐωνημένοις. Vid. Miscell. defens. C. 2. p. 27. (2) Conf. Valesius in Notas Maussaci p. 144, quem miror Salmasii emendationem modo laudatam non animadvertisse. — Ad ἐρανάρχην quod attinet, conferri potest Ramirez de Prado, in Pentecontarcho C. XI. p. 119. sq.; ubi in Const. 9. C. de Jure Fisci, pro *Irenarcho* legendum censet *Eranarcho*: sed huic lectioni Const. Unic. C. de Irenarchis (X. 75.) aliaeque leges e regione repugnant. Cf. J. Gothofred. ad Cod. Theod. T. IV. p. 647. sq., quem laudat Doctiss. Pannius in Dissert. laud. p. 138. (3) Vid. Lysiae fragm. 5. 7. Tom. VI. R.; conf. Valesius ad Harpocrat. voc. πληρωτής, p. 64, qui τοῦτον τὸν κάπηλον de ipso Aeschine intelligit.

significare *corradere*, quum illud accipiat de erano ad dissolvendum aes alienum collato, ut sensus sit: »*Pecunia omnis, quam ab amicis potest Ae-*»*schines corradere nomine erani, non impenditur* »*ab eo in solvendis bona fide reliquiis pensionum,* »*quas debet, atque adeo propter quas a Sodalibus* »*stipe collatitiâ fuit adjutus; sed universa illa* »*pecunia, quanta quanta est, apud proximum cau-*»*ponem perit, sicut navis, quae ad columnam* »*impegerit* (1)."

Salmasius vero, mea sententia, recte animadvertit aliud esse συλλέγεσθαι passiva significatione, aliud συλλέγειν. Quum igitur συλλέγειν sit *colligere, corradere*, unde συλλογὴ, *collecta*, et συλλέγεσθαι (pass.) significet *colligi, congregari;* hinc *convenire in unum, coïre* (2), unde σύλλογος, *coetus;* verba Lysiae ὅσους δ'ἐράνους συνείλεκται nil aliud sibi volunt, nisi ut iis indicetur Aeschinem convenisse quidem ad convivia celebranda, neque tamen plenam solvisse pensionem, ideoque reliquatum fuisse: »*quibuscunque*," vertit Salmasius, »*convivüs ex era-*»*nistarum collatitia stipe instructis interfuit, pen-*»*sionem, quibus reliquatus est, non dependit* (3)." Huc enim sensus redit: sed haud scio, an non hinc in dubium vocari possit, verbum συνείλεκται cum voce ἐράνους nulla intermedia praepositione non ita posse conjungi, ut *convenire* significet. Crediderim equidem, illud συνείλεκται, si nullo vitio laboret lectio, omnino habere proprietates verbi, cujus

(1) Vid. Animadvers. p. 559. in Athen. L. XIII. p. 612. D. (2) Sic locus Demosthen. in Cononem p. 1267. Tom. II. R. ἐπειδὰν δὲ συλλεγῶσι, καὶ μετ'ἀλλήλων γένωνται, a Reiskio redditur *congressi secum sint.* Vid. Apparat. Crit. ad Demosth. Vol. IV. p. 702. (3) Vid. de Usuris C. 3. p. 58. sq.

vicem per analogiam occupat: namque, uti post ἔρχομαι aliaque hujus significationis verba omitti solet praepositio εἰς; idem quoque nostro loco obtinere mihi videtur (1).

Quo tandem modo συνείλεκται significare possit *colligere*, *corradere*, ut vult Casaubonus, me non intelligere fateor. Namque hac significatione συλλέγεσθαι est verbum medium, quod indicat *colligere pro se* (2), cujus perfectum foret συνείλογε; medium autem passivâ formâ usurpari, ut vidimus factum in ἀφῖγμαι, vix sinit nostri verbi ratio.

Etenim, licet interdum ita factum a Grammaticis sumus edocti (3); toto tamen Lysiae loco perlecto, sponte apparebit, ibi neutiquam de erano, quo egeni juvarentur, esse sermonem; sed de erano, ad quem menstruas pensiones tribuere solebant socii. Quid enim aliud sibi volunt verba τὰς ὑπολοίπους φορὰς, nisi illas pensiones, quarum Harpocration meminit, quasque in arcam deponere (καταβάλλειν) oportebat: namque id, quod ratione arcae vocatur τὸ ἐλλιπές, ratione ejus, qui reliquatus est, ὑπόλοιπον dicitur; adeoque *supersit*, sive *residet* ei pecunia, quae vi pacti inter caeteros socios initi collegio competit. Verbum κατατιθέναι de pensione arcae inferendâ usurpatur, et convenit cum inculcato καταβάλλειν (4), ita ut illa pensio quasi depositum esset uniuscujusque, qui in societatem admitteretur, in eaque manere vellet. De iisdem eranis Aeschines in Oratione adversus Ctesiphontem cogitasse videtur, ubi legimus: ἔπειτ' ἀπέρχεσθε ἐκ τῶν ἐκκλη-

(1) Conf. L. Bos de Ellips. Graec. p. 479. sq. edit. Schwebelii. (2) Vid. Demosth. Midian. p. 547. Tom. I. R., ne alia loca memorem. (3) Conf. Matthiae Gramm. Gr. §. 493. (4) Conf. Boeckh Staatshaushalt. der Athen. P. I. p. 362., II. p. 37.

σιῶν οὐ βουλευόμενοι, ἀλλ' ὥςπερ ἐκ τῶν ἐράνων τὰ περίοντα νειμάμενοι (1). Sed integer locus est legendus, inde a verbis καὶ παρακελεύονται ὑμῖν. Attamen locus non satis indicare videtur, ad quod erani genus pertineat; illud νειμάμενοι si attendimus, intelligi potest de *distributione* eorum, quae ex conviviis supersunt, ut sensus sit: *ita enim diversis sententiis, re infectâ, e concione discessistis, quemadmodum populo distribuuntur ea, quae ex publicis conviviis supersunt.* De illo Aeschinis loco, minus tamen ad nostram materiam, quam quidem ad Democratiam (τὸ πλῆθος) Atheniensium, exponit Heraldus (2), quâ vigente Democratiâ, populus salario (τριοβόλῳ) accepto concioni intererat. Quae omnia se addidisse affirmat ad Aeschinis locum explicandum; sed vereor, ne nimis probando nihil probaverit.

§. 12.

Hoc igitur convivium, quod ἔρανον appellabant, quotiescunque socii convenirent, celebrari solitum apparet; quo loco tamen celebraretur, non satis constat. Verbum ἑστιᾶν, quod apud Aristotelem occurrit (3), satis arguere videtur eranistas non habuisse certas huic consilio destinatas aedes. Quamobrem alterna vice unum alterum excepisse verosimile est. Qua de re jam supra abunde, ut puto, disserui (4).

Haec quoque convivia modica fuisse voluit Aristoteles; non enim conveniebant sumtus inanes iis, qui pio quodam ritu coïrent; quare si quis in rebus, ubi id minime fieri oportebat, modum excederet, παρὰ τὸ δέον eum impendisse dicebant vete-

(1) Vid. p. 89. (642.) Tom. III. R. ibique Wolfius. (2) Vid. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 3. (3) Vid. Ethic. ad Nicom. L. IV. c. 6. edit. Duvallii. (4) Vid. C. I. §. 10. supra.

res. Quarum rerum exempla proposuit Aristoteles, his verbis: *οἷον ἐρανιστὰς γαμικῶς ἑστιῶν, καὶ κωμῳδοῖς χορηγῶν, ἐν τῇ παρόδῳ πορφύραν εἰσφέρων* (1). Sive igitur suis sumtibus, sive ex pecunia collatitia quis sodales exciperet, parsimonia omnino erat colenda, quo firmius staret societas, omnesque exterae suspiciones arcerentur, ne viderentur coetus illiciti coïre, quales imperio erant periculosissimi. Sed haec de parsimoniâ, utpote jam supra expositâ, pro nostro consilio dicta sunto (2).

§. 13.

Ille igitur, qui caeteros socios domi suae excipiebat, dicebatur *ἐρανάρχης*, tanquam erani, totius scilicet collegii et convivii, quod inter socios inibatur, praefectus. Quem *ἐρανάρχην* aliàs, prouti convivia tum hic, tum illic, solebant celebrari, fuisse alium apparet. Sic quoque ex Harpocratione novimus, eos hoc munus vel sorte ductos vel amicorum electos suffragiis esse auspicatos (3).

Jam plura de hisce Eranarchis pervestigemus. Vidimus eos ita universo collegio praefuisse, ut omnis cura, tum pecuniae in arcam inferendae, tum convivii moderandi, iis incumberet. Quod munus quum valde esset onerosum, mihi videtur aliquando potuisse recusari, si quis invitus nulloque servato ordine eo fuerit ductus; quo facto alium fuisse eligendum crediderim. At, si tenemus id, quod supra statuimus, *ἐρανάρχην* cum caeteris aequalem pensionem solvere solitum; si non aliunde, hinc saltem

(1) Vid. Aristot. Ethic. l. l. — De cujus loci significatione multus est Salmasius, quae tamen quum minus ad materiem, quam tracto, pertineant, omittere satius duxi. Vid. de Usuris C. 3. p. 55. sqq.; conf. Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 8. (2) Conf. C. I. §. 11. supra, ibique in notis. (3) Vid. Harpocrat. in v. *Πληρωτής*. Conf. supra §. 10. in fine.

veri mihi videtur simillimum, collegii socios alterna vice eranarchae provinciam administrasse, uti jam satis me ostendisse arbitror. Quod autem animadvertit Salmasius, ἐρανάρχην fuisse hominem opulentum, qui si usu veniret, sodales sive eranistas suo sumtu exciperet (1); haud scio an non id ex Terentiano illo loco, ubi Chaereae, quem adolescentuli quidam convivio praefecissent, sermo est, collegerit (2); verum enimvero aliud est aliquem eligere, cui dari solet pignus (*annulus*), aliud socio arcae curam committere. Sed haec nil nos morentur. Ille ἐρανάρχης, quatenus convivio praeerat sociosque excipiebat, vocari solebat ἑστιάτωρ, licet caeteris, qui adessent, sociis, si consilium ipsis propositum ad vivum resecare velimus, hoc quoque nomen facile tribui potuerit. Sin autem in vocis vim inquiramus, ἑστιάτορα intelligamus eum, qui alios domi excipiat, necesse est. Sed ut vocem ἑστιάτορα missam faciamus (3), ad eranarchae munus redeamus, cujus personae notionem a viris Doctissimis mirum in modum confusam reperimus. At suo quisque fruatur judicio.

Noster ἐρανάρχης, ratione convivii, quod celebrabant eranistae, non multum aberat a Symposiarcha in conviviis solutioribus: cujus tamen, ut vidimus, non tam late patebat munus, quandoquidem non nisi coenae erat praefectus.

Ἐρανάρχης interdum vocari solebat πληρωτής, non tamen ita, ut omnia, quae eranistarum consilio perficiendo deëssent, impleret, verum quod haud

(1) Vid. Miscell. defens. C. 3. p. 83. sq. (2) Vid. Terent. Eunuch. III. 4. 1—4. conf. C. I. §. 2. supra. (3) De voce Ἑστιάτωρ multus est Salmasius, in Miscell. defens. C. 3. p. 72. sqq.

secus ac eranistae, suam portionem tribueret. Fac aliquando inaequali pensioni locum fuisse; nonne tunc aequum sit eum, qui convivio parando operam dedisset, omniumque rerum ad collegium pertinentium rite ministrandarum provinciam suscepisset, minus potius conferre, quam id, quod caeteri conferre neglexissent, supplere. Mihi quidem ita videtur, et quo magis rem perspicio, societatumque consilium mihi propono, ubi opera et industria saepissime nummorum vicibus funguntur (1), eo magis mea confirmatur sententia, quae a Salmasii mente ne latum quidem unguem recedit (2). Aliter vero rem dijudicat Heraldus, vir caeteroquin juris peritissimus (3).

Subductis igitur rationibus, potius est, ut credamus, eranarcham pro curâ nil prorsus accepisse; praesertim si cogitemus socios alterna vice eranarchae munere functos fuisse.

Sic etiam accepimus conviviis, quae sacrorum causa celebrarentur, Deos, quibus sacra fierent, interesse solitos, coenaeque fuisse moderatores, omniumque, qui adessent, facile principes: sic v. gr. Serapis fere omnibus conviviis praeĕrat, uti mox videbimus.

§. 14.

Quod de Serapide in hocce erani genere diximus, idem etiam in conviviis solutioribus obtinet, quibus tanquam *συμποσιάρχης* praeĕrat. Hoc enim, ut ait Salmasius, Serapidi prae caeteris dari sole-

---

(1) Vid. Justinian. Instit. Lib. III. Tit. de Societate. §. 2. Conf. Ulpian. fr. 52. §. 2. D. pro Socio. (2) Vid. Salmas. de Usuris, in Omissis, p. 678. sq.; Miscell. defens. C. 3. p. 80. sq. (3) Vid. Observ. et Emend. C. 43 et 44; Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 5 et 6.

bat, etiam in aliorum Deorum sacrificiis (1), ubi ἑστιάτορος, συμποσιάρχου, et πληρωτοῦ ἐράνου vice fungitur: dicitur enim διὰ πάντων ἥκειν καὶ τὸ πᾶν πεπληρωκέναι (2).

De die festo in honorem Serapidis Aristides sequentia narrat: καὶ τοίνυν καὶ θυσιῶν μόνῳ τούτῳ θεῶν διαφερόντως θεοὶ κοινωνοῦσι τὴν ἀκριβῆ κοινωνίαν, καλοῦντές τε ἐφ' ἑστίαν, καὶ προϊστάμενοι δαιτύμονα αὐτὸν καὶ ἑστιάτορα· ὥστε ἄλλων ἄλλους ἐράνους πληρούντων, κοινὸς ἁπάντων ἐράνων οὗτός ἐστι πληρωτής, συμποσιάρχου τάξιν ἔχων τοῖς ἀεὶ κατὰ ταὐτὸν συλλεγομένοις (3).

Ab hoc eximio Serapidis cultu fortasse Eranistae et Thiasotae audiebant interdum Serapiastae, de quorum collegio Boeckhius, cum multa docet, quorum vestigia vix alibi reperies, tum vero etiam in eorum sodalitatem quoque mulieres recipi solitas, novi quoque Dei religionibus addictas. »Habet au»tem, *inquit*, id collegium suos magistratus, quae»stores, scribam..... et quoniam mulieres quo»que in eo collegio videntur fuisse, eranistriis prae»est προερανίστρια (4).“ Ille vero Serapidis cultus videtur demum Athenis Ptolemaci Philadelphi aetate receptus fuisse (5).

§. 15.

Quum jam eo deducta sit nostra de hoc erani genere disputatio, ut nobis, eranarchae munus pervestigantibus, lux simul oboriatur de universo erani-

(1) Vid. Miscell. defens. C. 3. p. 77. (2) Vid. Herald. Observ. et Emend. C. 45; Salmas. Miscell. defens. C. 3. p. 63, 70, 72, 75—77. (3) V. Orat. in Serap. T. I. p. 54. Cf. Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 7. (4) Vid. Boeckh. Corp. Inscription. P. II. p. 162. (5) Vid. Pausan. I. 8. 4; add. Boeckh. l. l.

starum collegio, ut appareat quam late in totam religionem vires exseruerit; reliquum est, ut indagemus an constanter eranistae morem eranarchae ex sociorum numero eligendi servaverint, ita ut omnes hoc munere suis vicibus fungerentur. Sed antequam hac de re nobis, quid semper et ubique obtinuerit, persuadeamus, nonnulla de eranarchae officiis deque ejus in caeteros eranistas meritis praemonenda sunt.

Huic eranarchae singulos, qui in collegium reciperentur, suam pensionem solvisse, jam satis nota res est, quam probavit Boeckhius, et vero confirmavit ita, ut doceret omnes, qui contulissent, nomen publice esse professos, atque adeo institutis quibusdam subscripsisse, quo arctiori vinculo sodalitati adstringerentur. Sic enim accipio sequentes, quos citavit, versus:

Ἄρχων μὲν Ταυρίσκος, ἀτὰρ μὴν Μουνυχιὼν ἦν,
ὀκτωκαιδεκάτῃ δ' ἔρανον συναγον φίλοι ἄνδρες,
καὶ κοινῇ βουλῇ θεσμὸν φιλίης ὑπέγραψαν. (1).

de quibus haec Boeckhius:

»Igitur hic titulus Archonte Taurisco exaratus »est; is vero circa aetatem Antoninorum, vel paulo »post, necesse est Archon eponymus fuerit. Ceterum »titulum a Sodalibus s. collegio nescio quo positus »est; subscribitur lex Sodalium, his fere verbis »concepta:"

30. *Νόμος ἐρανιστῶν.*

Μη]δενὶ ἐξέστω ἰέ[ναι ε]ἰς τὴν συνοτάτην
συνοδον τῶν ἐρανιστῶν, πρὶν ἂν δοκι-
μασθῇ εἰ ἔστι ἁ[γι]ος καὶ εὐσεβὴς καὶ ἀγ[α-
θ]ός· δοκιμα[ζέ]τω δὲ ὁ προστάτης [καὶ

(1) Vid. Boeckh. in Corpore Inscript. P. II. p. 173.

35. ὁ] ἀρχιερανιστὴς καὶ ὁ γραμματεὺς κα[ὶ
οἱ] ταμίαι καὶ σύνδικοι ἔστωσαν δὲ ο[ὗ-
τ]οι κληρωτοὶ κατὰ ἔ[το]ς χωρὶς [τοῦ] προστά[του
..... δὲ εἰς τὸν βίον αὐτο[ῦ ...
ὁ ἐπὶ ἡρῴου (?) καταληφθείς. αὐξανέτω δ[ὲ
40. ὁ ἔρανος ἐπὶ φιλοτειμίαις, εἰ δέ τις μά-
χας ἢ θορύβους κεινῶν φαίνοιτο,
ἐκβαλλέσθω τοῦ ἐράνου, [ζ]ημιού-
μενος ταῖς διπλαῖς ..... κρίσεως
..... πληγαῖς ..... (1).

Sed haec verba non vulgari illi *ἐράνῳ*, neque adeo perfecto eranistarum collegio, verum magis collegio cuidam perfectissimo, severioribus legibus adstricto, convenire mihi videntur.

Eranarchae igitur, quem vs. 35. *ἀρχιερανιστὴν* dici accepimus, erat in primis mandatum in mores inquirere eorum, qui in eranistarum collegium admitti vellent. Quod quidem jam aetate Solonis, cum illa sacrificantium collegia invaluerunt, ita obtinuisse crediderim. Quare illa lex Sodalium, quam ex Boeckhii opere descripsimus, lucem velut affundit iis, quae ex antiquioribus scriptoribus collegimus. Inter *προστάτην* et *ἀρχιερανιστὴν* quid intersit, me non satis intelligere fateor: reliqua, quae in Inscriptione (vs. 36.) occurrunt, munera, satis perspicua sunt, et cuivis collegio licito apposita (2).

Illi omnes, non minus ac *ἀρχιερανιστὴς*, sorte ducti, annuo munere functi videntur. Sic ex vs. 36. sq. legimus: *ἔστωσαν δὲ οὗτοι κληρωτοὶ κατὰ ἔτος χωρὶς τοῦ προστάτου.*

---

(1) Conf. Boeckh. Corp. Inscript. loc. laud. — Ipsa Inscriptio est n. 126, cui titulus: » Alopeciae in ecclesia infra mon» tem Hymettum;" ex Schedis Fourmontii. Vid. Boekh. ibid. p. 172. (2) Vid. fr. 1. §. 1. D. quod cuj. univers. nom.

At totius collegii praesidem (*προστάτην*) ad vitae tempus fuisse electum ex vs. 38. verbis *εἰς τὸν βίον αὐτοῦ* non immerito confecit Boeckhius, cum legis Sodalium verbis subscriberet, »vs. 38. videtur di»ctum, praesidem collegii in tempus vitae eligendum »esse (1)."

Sed quis erat ille praeses? Equidem, ut libere meam profitear sententiam, eum ad collegium haud aliter pertinere putaverim, ac si quis sit negotiorum probator, cui interdum rationes eorum, quae gesta sunt, reddi solent; *ἀρχιερανιστὴς* vero erat proprie eorum, quae agerentur, curator, moderator, dux, magister, idemque collegii particeps, qui, haud secus ac omnes eranistae, pensionem inferre necesse habebat. Differebat igitur a *προστάτου*, quem collegii patronum vocaverim, cujus nimirum consilia de rebus ad societatem pertinentibus tum eranarcha, tum caeteri socii, si non semper exsequebantur, saltem, opinor, inibant. Quem ideo potissimum in tempus vitae electum crediderim, ut haberent Sodales, qui indicaret, quid tractu temporis societati a variis eranarchis administratae profuisset, quid obfuisset. Hujus etiam *προστάτου* erat in mores inquirere eorum, qui in collegium reciperentur, (vs. 34.) (2).

(1) Vid. Boeckh. op. laud. P. II. p. 173. (2) Socii, simul ac in collegium recipiebantur, vocari poterant *ἄλογοι ἐρανισταὶ*; quod ita interpretandum esse putem, ut sint *advenae socii nunquam antea in societatis arcam conferre soliti.* Sed conf. Harpocrat. in v. *Ἄλογοι ἐρανισταὶ*, et, quem citat, Dinarchus in Orat. de Patroclis liberis. De vocis significatione dissentiunt Interpretes ad Harpocrat. Vid. Valesius in Notas Maussaci p. 87. Gronov. p. 23. sqq. Harpocrationis verba sunt haec: *Ἄλογοι ἐρανισταὶ· μήποτε οἱ μήπω ἐξειληχότες τὸ ἐπίβαλλον ἑαυτοῖς, κατὰ τὴν ἐκ περιόδου τάξιν τῶν ὀνομάτων τῶν εἰς τὸν ἔρανον ἐνφερομένων. Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πατροκλέους παίδων ἐρανικῷ.*

Ipsâ denique eranistarum lege perspectâ, simul de societatis concordiâ constat: repellendi enim erant illi, qui pugnas turbasque ciërent (vs. 40. sqq.) (1).

§. 16.

Ut caeteros collegii administros, utpote ἀρχιερανιστοῦ nomine agentes, silentio praetereamus, de eranarchâ pauca addere lubet, ut simul appareat, quid Artemidorus in Somnio de Capite (2) sibi voluerit, cum diceret: μεγάλην ἔχειν δοκεῖν κεφαλὴν ἀγαθὸν..... καὶ δανειστῇ, καὶ τραπεζίτῃ, καὶ ἐρανάρχῃ, et paulo infra de magno capite; τραπεζίτῃ δὲ καὶ δανειστῇ, καὶ ἐρανάρχῃ, πλείονα τὴν τῶν χρημάτων συστροφὴν μαντεύεται. Quo loco ἐρανάρχην accipit Heraldus de eo, qui stipibus erogandis praeest, ita ut id, quod desideretur, de suo suppleat (3). Sed haud scio an recte: equidem ἐρανάρχην de collegii eranistarum praefecto intelligendum censeo. Pecunias a Graecis κεφάλαια dici monet Artemidorus, nec, ut satis vulgo notam rem, negat Heraldus (4); ἐρανάρχης igitur, cum simul collegii arcae praeësset, pecunias convertere necesse habebat, ut scilicet res coenae necessarias sibi compararet; quae quum, prouti mercium pretia mutantur, alias magno, alias parvo constarent, merito sperare poterat, fore, ut faustis auspiciis munus iniret; non, quod de suo quid supplere teneretur, sed quo magis annuam suam provinciam e re totius societatis, cujus ipse particeps erat, administraret.

Quae quidem sententia confirmari poterit allato alio ejusdem auctoris loco, ubi somnio eo-

(1) Pro κεινῶν enim vs. 41. legendum esse κενῶν e nexu facile conficitur. (2) Oneirocrit. I. 18. (3) Vid. Observat. et Emendat. C. 44. (4) Conf. Rigaltius ad Artemidor. l. l., Not. p. 8.

rum, qui caput sibi amputari videntur, sortis (*τοῦ κεφαλαίου*) amissionem praesagiri monet, his verbis: *τραπεζίταις, καὶ δανεισταῖς, ἐρανάρχαις, καὶ ναυκλήροις, καὶ ἐμπόροις, καὶ πᾶσι τοῖς τὰ χρήματα συνάγουσιν, ἀπώλειαν τῶν κεφαλαίων διὰ τὸ ὁμώνυμον σημαίνει* (1). Hinc videre est, quam late vocis *ἐρανάρχου* significationem sumserit auctor, eos cum navicularis et mercatoribus comparans, ita ut nullum fere dubium supersit, quin de collegii praefecto cogitaverit.

Heraldus vero *ἐρανάρχην* ad aliud erani genus referens, putat periculum necessario suscipi ab eo, qui collationi in amicorum gratiam faciendae praeesset (2), quippe qui de suo supplere teneretur, si minus, quam quod amici egestati sufficeret, collegisset; quo tamen quid foret iniquius? Erat enim hujusmodi eranarcha non nisi beneficii in alterum conferendi auctor, qui nunquam ex sua beneficientia damnum pati poterat. Sed hac de re infra dicemus. — Ad verbum *συνάγουσι* quod attinet, illud pro *conferre* esse accipiendum, ut praecipue ad collegii praefectum referri possit, facile constat: his enim omnibus, quos enumerat Artemidorus, pecunia erat conferenda, quâ nulla non negotiatio continetur, et vero haec pecuniae collatio in lucrum aut damnum verti solebat, si non eranarchae, saltem collegii, cujus saluti prospicere debebat. Quod si animadvertisset Heraldus, alia, credo, ejus fuisset sententia.

§. 17.

Hisce igitur omnibus perspectis, videor mihi collegii eranistarum rerumque cum eo conjunctarum

(1) Artemidor Oneirocrit. I. 37; ibique Rigalt. l. l.
(2) Vid. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 5.

tradidisse notionem, pro viribus, satis accuratam. Quae collegia quum essent alia utilitatis et voluptatis causa instituta, utilitatis et communis quaestus gratia alia; facile inde, opinor, suspicari licet, ad quodnam collegii genus judicia eranistica pertineant, quae tamen e sua republica exsulari jussit Plato, cum diceret *ἐράνων δὲ πέρι, τὸν βουλόμενον ἐρανίζειν φίλον παρὰ φίλοις, ἐὰν δέ τις διαφορὰ γίγνηται περὶ τῆς ἐρανίσεως, οὕτω πράττειν, ὡς δίκων μηδενὶ περὶ τούτων μηδαμῶς ἐσομένων* (1). Quem locum, quominus ad collegia utilitatis et voluptatis causa inita referamus, nihil vetat; quò judicia eranistica non pertinere jam ante intulimus: sin autem Plato socios mercaturâ, aut alio modo, quaestum facientes respexisset, non usus esset verbis *τὸν βουλόμενον ἐρανίζειν φίλον παρὰ φίλοις*. Quicunque igitur amicus apud amicos (sacrorum causa) epulaturus esset, hac de re eum sibi persuasum voluit Plato, nullo pacto de controversia, si qua oriretur, judicio disceptatum iri. Poterat nihilominus socius, si quid in detrimentum sodalitatis commisisset, a societate arceri.

Alia tamen corporum opificum, quo collegia sodalitia, quae Solonis legi tribuit Gajus (2), referuntur, erat ratio. Haec enim corpora, ut ait Aristoteles, *κατὰ μέρη τοῦ συμφέροντος ἐφίενται* (3); communis igitur quaestus gratia instituta sunt, uti ex ejusdem auctoris verbis *ἢ πρὸς ἐργασίαν χρημάτων, ἤ τι τοιοῦτον* facile colligi potest. Hisce, inquam, collegiis permissum erat stipem menstruam conferre, non adeo, ut inde tempore sacrorum jucundiorem degerent diem, sed magis, ut inde communi omnium sodalium consensu simul rem quaererent;

(1) Plato de Legg. L. XI. p. 915. *E*. (2) V. fr. 4. D. de coll. et corp. (3) Vid. Ethic. ad Nicom. L. VIII. c. 11.

quo melius consilium, cujus causa societatem inirent, assequerentur.

Quum igitur saepissime accideret, ut de menstrua illa stipe, sive de lucro aut damno, cum hujusmodi societatibus conjuncto, lites orirentur; severioribus legibus (*ἐρανικοῖς νόμοις*) illae sodalitates erant adstrictae, quas qui migrarent judiciis eranisticis (*ἐρανικαῖς δίκαις*) fiebant obnoxii (1), ubi judices sedebant sex ex Archontum collegio Thesmothetae (2), quovis mense de hujusmodi litibus cognoscentes: spectabant enim judicia tum eranum, tum mercaturam. Sic Harpocration: *ἔμμηνοι δίκαι· αἵτε ἐμπορικαὶ καὶ ἐρανικαί. Δημοσθένης καὶ Ὑπερίδης.* (3). Demosthenis loca, quae respexit Harpocration, exstant duo, alter in Oratione de Haloneso, qui sic se habet: *ἐφ' ἡμῖν γὰρ ἦν ἡ Μακεδονία, καὶ φόρους ἡμῖν ἔφερε, καὶ τοῖς ἐμπορίοις, τότε μᾶλλον ἢ νῦν, ἡμεῖς τε τοῖς ἐκεῖ, κἀκεῖνοι τοῖς παρ' ὑμῖν ἐχρῶντο. καὶ ἐμπορικαὶ δίκαι οὐκ ἦσαν ὥσπερ νῦν ἀκριβεῖς, αἱ κατὰ μῆνα ποιοῦσαι μηδὲν δεῖσθαι συμβόλων τοὺς τοσοῦτον ἀλλήλων ἀπέχοντας κ. τ. λ.* (4). Alter Demosthenis locus fidem facit iis, quae modo de judiciis mercaturae causa vigentibus, affirmavimus, ubi nimirum judices sedebant Thesmothetae: *τοῖς μὲν ἐμπόροις*, inquit, *ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, καὶ τοῖς ναυκλήροις κελεύει ὁ νόμος εἶναι τὰς δίκας πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, εἴν τι ἀδικῶνται ἐν τῷ ἐμπορίῳ, ἢ ἐνθένδε ποι πλέοντες, ἢ ἑτέρωθεν δεῦρο κ. τ. λ.* (5).

Quibus igitur Oratoris locis inter se collatis, apparet judicia illa ante Philippi Macedoniae Regis

(1) Vid. Pollux L. VIII. s. 37. ibique Kuhnius n. 45; conf. s. 144. (2) Vid. supra §. 8. h. c. (3) Vid. Valesii Notae p. 25. (4) Vid. p. 79. Tom. I. R. (5) Vid. Orat. contra Apaturium p. 900. Tom. II. R.; add. universe Petitus ad LL. Att. p. 518.

aetatem non fuisse menstrua (1). Quae omnia magnis ambagibus ansam praebuisse, non est quod mireris. Quum tamen ex neutro loco constet an huc referre oporteat judicia, quae de eranis haberentur, nullus dubito quin eranistarum collegium, quo mercatores et naucleros referas, idem sequerentur institutum (2). Quoties enim non eorum collegiorum ita mentionem injecimus, ut simul ostenderemus nil interesse inter *ναυκλήρους*, *ἐμπόρους* et *ἐρανιστάς*? (3). Rem si exemplis illustrarem, acta agere mihi viderer. Judicia igitur tum mercatoria, tum eranistica, fuisse menstrua ex Harpocratione satis apparet (4).

Ita obtinuit in plerisque Graeciae civitatibus et vero Athenis, licet haec judicia ex sua republica exterminata voluerit Plato. Namque hoc Platonis placitum non adeo corpora quaestus gratia consociata respexit, verum ea, quae praesertim sacra faciendi consilio convenirent. Quare nullo pacto admittenda mihi videtur eorum sententia, qui putant Platonis verba *ἐρανίζειν φίλον παρὰ φίλοις* de erano amicorum egenorum esse accipienda. Id enim quo minus credamus, obstat omne pii illius erani institutum, nunquam judicia eranistica, quaecunque demum sint, quove modo lites intendantur, admittentis, uti ex sequenti capite videbimus; praeterea

---

(1) Conf. Boeckh Staatshaushalt. der Athen. P. I. p. 54. (2) Sic enim Boeckhius in Corp. Inscript. P. II. p. 170. » *Σύνοδος* est *collegium* s. sodalitium, *ἔρανος*, *θίασος*, maxime » cultorum alicujus Dei.....; haec synodus fuit Jovis hospitalis. Quam qui deducunt *mercatores* et *naucleri*, ipsi aliud » sodalitium constituunt. cet." (3) Conf. Boeckh Staatshaushalt. der Athener. l. l. et p. 333. (4) Conf. Suidas in vocibus *Ἐρανισταί*, *Ἔμμηνοι* et *Ναυτοδίκαι* ibique Kusterus; Pollux L. VIII. s. 63 et 101. Vid. supra §. 8. h. c.

si ad amicos afflictos ille locus pertineret, scripsisset Plato φίλον παρὰ φίλου vel φίλων, ut ἐρανίζειν significaret *rogare eranum* (1). Nec video, qui opus sit, ut locus sic emendetur: namque veri mihi videtur simillimum, auctorem ad eranistarum societates, quarum Aristoteles meminit, respexisse. Cui sententiae fidem facere possunt Scholia in allatum Platonis locum, his verbis: Ἔρανός ἐστι εἰσφορά τις ἑκάστου μηνὸς, ἢ ἐκ συμβολῆς δεῖπνον, ἢ εὐωχία, ἢ ἀνὰ μέρος δεῖπνον· καὶ Ἐρανισταὶ, οἵτε τὴν εἰσφορὰν αὐτὴν εἰσφέροντες, καὶ οἱ κοινωνοὶ ταύτης (2). Haec postrema, καὶ Ἐρανισταὶ, haud secus ac priora ἔρανός ἐστι — μηνὸς, nobiscum plane facere videntur. — Neque alia erat Salmasii sententia, scribentis: »Non enim, ut censet vir summus (Casaubonus), lex »haec statuit, ut eranum ab amico exigere liceat, »sed ut amicus apud amicos possit convivari, qui »in hujusmodi eranistarum societatem admitti ve»lit." (3).

In omnia tamen alia ivit Heraldus (4), Platonis locum ad amicos egenos referens, cujus quidem erani nulla fuisse collegia, si non animadvertit, animadvertere certe noluit. Sed quo modo in egenos quid erani nomine conferri soleat, ex sequenti capite satis, ut spero, apparebit.

---

(1) Conf. Stephani Thes. L. Gr. in v. Ἔρανος; Salmas. de Usuris C. 3. p. 49. (2) Vid. Scholia a Ruhnkenio edita, p. 239. (3) Vid. de Usuris. l. l.; conf. Casaubon. ad Theophr. Char. C. XV. §. 2.; add. tamen Salmas. Miscell. defens. C. 1. p. 6, ubi non satis sibi constat, quum de Platonis verbis dicit: »haud multum refert, utrum ἐρανίζειν accipiatur de pe»cunia conferenda, an exigenda, quamvis hoc magis probem." (4) Vid. Observ. et Emend. C. 43 et 44; Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 1—5.

CAPUT III.

DE ERANO, SIVE PECUNIA AB AMICIS IN AMICUM EGENUM CONFERENDA.

Erat praeterea inter Graecos, in primis inter Athenienses, aliud frequentatum erani genus, ab iis, quos memoravimus, eranis toto coelo distans; quem tamen ἔρανον a convivarum symbolis originem duxisse, et vero ab illa sociorum sive eranistarum pensione nomen invenisse, nemo erit, qui singulorum collatione, quae vulgo ἔρανος audit, perspectâ, facile negaverit. Hoc praecipue animadverti velim, amicos, qui aliorum erano juvantur, non esse ipsos collegii cujusdam socios, neque eos prorsus quidquam, sive in arcam, sive in communem utilitatem, intulisse, ut in eranistarum collegiis conviviisque solutioribus factum vidimus. Ille enim Graecorum, in quo sumus, conferendi mos erat indicium pietatis et munificentiae. Sed quum de hoc juvandi consilio valde discrepantes eaeque virorum doctrinae laude celeberrimorum sint sententiae, eas pro viribus excutere conabor, ita tamen ut me peritioribus judicium relinquam.

§. 1.

De hoc erani genere quo magis nobis informemus notionem, auctor est Casaubonus (1): sed haud aliter ille rem expediens, ac si nullus fuisset era-

(1) Vid. quae notavit ad Theophrast. Char. C. XV. §. 2.

nus, nisi quo afflicti amici et socii juvarentur (1); de eo enim èrani genere Theophrastus in Characteribus voce ἔρανος semper usus est; non tamen ita, ut hujus rei causa institutae essent societates: namque illa Amisenorum societas ad aliud erani genus referenda est, ut supra jam vidimus. Attamen nostri erani aliud erat consilium. Quare inspiciamus Salmasium, de amicorum erano narrantem sequentia: »ubi quis aere alieno premeretur, aut inopiâ »etiam alias laboraret, nec haberet, unde viveret, »ad amicos erat paratum refugium, qui quod po»terant conferebant, ut eum liberarent et sustenta»rent. Praecipue tamen ad aes alienum solvendum »amicorum patebant facultates (2)." Et vero etiam multae aliae erant causae, ob quas eranum in amicos conferre antiquitus solebant amici, cujus rei apud Oratores Atticos passim exempla occurrunt; uti v. gr. si quis ex captivitate esset redimendus, aut filiam nubilem, in cujus gratiam dos esset collocanda, haberet, quale quid Thebis obtinuisse ex Nepote, in Vita Epaminondae C. 3, videre est. Sed hac de re suo loco plura dicemus.

§. 2.

Nostrum eranum in *publicum* et *privatum* dividentibus, quod assentiar, non habeo: erat enim era-

(1) In qua opinione etiam versatum esse Doctissimum Pannium, inde conficere licet, quod, in egregiâ suâ Dissertatione supra laudatâ p. 130, eranos in *publicos* et *privatos* diviserit, quum nullum alium nisi hunc amicorum eranum ob oculos haberet. Quam tamen divisionem non esse admittendam censuerim. Cf. §. 2. h. Cap. Sed ille Pannii error mihi tribuendus videtur studio omnia, quae ad ἐράνους faciant, ad gratum animum ob beneficia collata referendi, neque adeo ita, ut notionem eranorum, tanquam corporum communia convivia ineuntium, funditus, ut ita dicam, evertat. Vid. ejus Dissert. p. 136. sq. (2) De Usuris C. 3. p. 38.

nus in amicum egenum conferri solitus semper *privatus* (1); erani *publici* vero, si divisionem urgere velimus, ad collegia eranistica, utpote publica auctoritate permissa, referri possunt.

Eranus in amici gratiam erogatus similis fere est collationi ad convivia solutiora celebranda factae, hac tamen lege, ut amicus amicorum operâ sublevatus pecuniam acceptam, quippe sub conditione reddendam, velut precario possideat (2). Hinc Salmasius ἔρανον retulit ad mutui gratuiti quoddam genus (3), propterea quod esset ille ἔρανος reddendus, si amicus eo sublevatus in meliorem esset restitutus conditionem, aut potius, ut ipsis ejus verbis utar, si quando ipsi postea abundare contingeret (4); non vero intra mensem, ut minus recte ex Harpocratione, docente ἐρανιστὴν esse eum, qui menstruam stipem solvere deberet, confecit Peti-

---

(1) Conf. Boeckh Staatshaushalt. der Athener. P. I. p. 264.
(2) Quatenus ille eranus a *precario*, quod vocant JCti, differat, ex fr. 1. sqq. D. de Precario facile confici poterit.
(3) Vid. de Usur. C. 3. p. 38. — Heraldus, in Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 1., negat ἔρανον esse *mutui gratuiti genus*, utpote non aliter reddendum, nisi eorum qui contulissent unus laboraret ipse. Ostendit porro Salmasium sibi ipsum esse oblocutum, quum pag. 672, in Omissis, diceret: » primus, » ac summus (gradus caritatis) in dando consistit, quod non » sis recepturus. Haec eleëmosyne est, vel ἔρανος Graecorum, » non *mutuum*. Secundus in mutuo dando, quod recipias par » pari, sine ulla accessione, quod Dominus dixit τὰ ἴσα ἀπολαβεῖν. (Sic Cicero: » pro beneficio par gratia referatur." » Pro Roscio Com. C. 7.) Tertius, et infimus in eo genere » mutui est, quod recipias sub Usura." Quin Salmasius haec recte dixerit, haud dubitaverim; neque enim voluit ἔρανον esse *mutuum*, neque adeo *mutuum gratuitum*, sed *mutui gratuiti genus*; quod ad *mutuum gratuitum* quam maxime accedere putabat. Qui igitur Salmasius hac in re peccaverit, non video. (4) Vid. de Usuris C. 3. p. 41. sq.

tus (1), quasi eranista esset is, in quem conferri soleret pecunia, hac lege, ut statis temporibus necessario reddi oporteret. Quid enim, ut ait Salmasius, aliud erat versuram solvere, si hoc non erat (2). Sed ἔρανος, cujus meminit Harpocration (3), huc non pertinet.

§. 3.

Quae cum ita sint, ex ipsis auctoribus persuadere conabor: 1°. eranum esse reddendum; 2°. quando reddendus sit; simulque rixas inter Viros Doctissimos, Salmasium et Heraldum, de hoc erano ortas, ubi opus erit, quoad ejus fieri poterit, componere experiar.

In quo elaborando ut tuto progrediar, a Theophrasto proficiscar, in Charactere *Περὶ μεμψιμοιρίας* (4) dicente: *καὶ ἐράνου εἰσενεχθέντος παρὰ τῶν φίλων, καὶ φήσαντός τινος „Ἱλαρὸς ἴσθι", „Καὶ πῶς;" εἰπεῖν, „ὅτε δεῖ τὸ ἀργύριον ἀποδοῦναι ἑκάστῳ, καὶ χωρὶς τούτων χάριν ὀφείλειν* (5) *ὡς εὐηργετημένον;"* (6). Hinc Heraldus conficit eranum esse reddendum, non adeo necessario atque absolute, sed si amici, qui contulissent, suis vicibus indigeant ipsi. De quo reddendi modo infra videbimus. Attamen haec Heraldi

(1) Ad LL. Att. p. 526. sq. (2) Vid. Salmas. de Usur. C. 3. p. 42. (3) In v. *Ἐρανιστής*. (4) Vid. C. XVII. *Μεμψίμοιρον* Latine expressit Seneca de Beneficiis IV. 4. » Ipsos » illos complorantes sortem suam et querulos circumspice." — Cui *μεμψιμοίρῳ* respondet *φύσει δυσάρεστος* apud Flav. Joseph. Judaeor. Origin. alicubi. Cf. Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 1. (5) Sic eodem modo dicitur *ἔρανον ὀφείλειν*. Vid. Isocrat. Plataïc. C. 23, ubi vox *ἔρανος* significat *gratia*; *ἔρανος* enim varias habet metaphoricas sive translatas significationes, uti jam obiter monui. Vid. Introduct. §. 6. Sed hac de re infra suo loco dicendum erit. (6) Quem Theophrasti locum ut expediant, alii aliam lectionem tuentur. Vid. Fischeri Notae, add. Casauboni et Astii Comm. ad h. l.

sententia nullum habet, quo nitatur, fundamentum. Quare eum hac in re errasse omnes velim animadvertant (1). Equidem ἔρανον tum demum esse reddendum, si illi, qui accepissent, haberent, quod redderent, cum Salmasio valde contenderim.

Ut ad Theophrasti locum redeamus, toto hoc Charactere perlecto, facile apparebit, eum egisse de iis, qui sorte, quam ipsis Dii dederint, minime contenti vivant; qua occasione arrepta, simul depingit eum, qui, quum aliquando, quam ob rem nescio, eranum ab amicis accepisset, postea cuidam gaudium ipsi hac de re objicienti valde morose respondit: *Quid juvat? Reddenda enim est haec pecunia singulis, qui dederunt; et hoc amplius, est praeterea magna iis habenda gratia pro beneficio in me collato.* — Huc enim sensus redit.

Multa sunt alia loca, unde videre est eranum esse aliquando reddendum, quorum, ne longus sim, unum alterumve exponam: sic Terentius in Phormione (2).

> Intérea amici, quód polliciti sunt, dabunt.
> Inde iste reddet.

Plautus in Asinaria:

> Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copia:
> Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro:
> Dignos, indignos adire, atque experiri certum est mihi.
> Nam si mutuas non potero, certum est sumam foenore (3).

Illi comicorum versus in primis de erano amicorum accipiendi videntur: namque si quis amicos

(1) Vid. Herald. Observ. et Emend. C. 44. Cf. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 1, ubi etiam dicit ἔρανον esse reddendum κατά τι; adeoque *mutuum* esse *conditionale;* sed illud κατά τι non est conditio hujusmodi, quâ existente, quis statim in foro ad reddendum possit cogi, uti infra videbimus. — Idem perseveranter causam defendit (VI. 3.), quum dicat ἔρανον, quod ad consilium attinet, esse *donum gratuitum.* (2) Act. IV. Scen. 4. v. 22. sq. (3) Vid. Act. I. Scen. 3. v. 92—95.

quaerere vellet, quos adiret, magna illi erat in foro inveniendi opportunitas; quare etiam merito sperabat Argyrippus adolescens apud Plautum, se quos vellet facile amicos in foro inventurum, eosque simul conventurum, sive unquam de iis meritus fuisset, sive non fuisset; sic enim *dignos*, *indignos* accipio. Si igitur hoc modo in ipsum ἔρανος conferri non posset, trapezitam adire decrevit, ut sumeret foenori; secus ac fit ab amicis. Hinc Hesychius ἔρανον, utpote mutuum amicorum, si fortuna ferret, reddendum, exponit ἀνταπόδοσιν. (1).

§. 4.

Licet ex hisce appareat ἔρανον esse reddendum, majoremi nostrae sententiae fidem faciunt voces ἔρανοι et χρέα sive ὀφλήματα, apud auctores simul obviae. Sic v. gr. Aristophan. in Acharnens. v. 622. (615).

Οἷς ὑπὲρ 'ΕΡΑΝΟΥ *τε καὶ* ΧΡΕΩΝ *πρώην ποτὲ,*
— — — — — — — — —
Ἅπαντες ἐξίστω παρήτουν οἱ φίλοι

ad quem locum eruditi Grammatici: *ὅτι αὐτοῖς οἱ φίλοι χθὲς καὶ πρώην συνεβούλευον καταχρέοις οὖσιν ὑπό τε ἐράνων καὶ ὀφλημάτων, ἐξίστασθαι τῆς οὐσίας, ὡς μὴ δυναμένοις ἀποδοῦναι· ἢ τοῖς δανείζουσιν παρήνουν οἱ φίλοι ἐξίστασθαι τοῦ δανείζειν τοῖς τοιαύταις ὀφείλουσιν ἐράνους καὶ χρέα* (2). Hinc *ἐράνων*

(1) Vid. Hesych. in v. *Ἐραννῆς*. (2) Conf. Dindorfii Scholia p. 799. ad v. 624. ubi *ἐξίστω* accepimus homonymum esse *τῷ ἐκχώρησον;* ex iis, quae ad v. 622. commentatus erat Scholiasta, videmus hic magis intelligi oportere *ἔρανον* sive tributum, quod quisque in patriae commodum confert; hoc enim casu *ἔρανος* ex effectu perspectus jam debito annumerari potest, quum uniuscujusque civis sit patriae saluti pro virili parte prospicere; praesertim si consideremus patriae commoda jam in eum redundasse, ita ut par pari referat. Non enim cives ad hunc actum poterant cogi; quod tamen munus qui denegarent, *ἄτιμοι* erant.

ὀφλήματα et χρέα ἐπὶ τόκοις distinxit Isaeus (1); itidem Demosthenes eum, qui multos eranos debet, hominem aeri alieno obnoxium vocat, his verbis: πονηρότατος ἀνθρώπων πάντων ἐστὶ, καὶ ἐράνους τε λέλοιπε πλείστους, καὶ ὑπόχρεως (alii ὑπέρχρεως) γέγονε (2). Quare igitur λιπεῖν ἐράνους dixisset auctor, si non essent reddendi, non video; sin illud ἐράνους λέλοιπε ad collegia eranistica relatum velis, nullus intercedo et hac in re me victum dabo. Atqui videndum est, quo pacto id fieri possit: in eranistarum enim collegiis propter judicia eranistica aliasve causas nemo plus semel ἔρανον λιπεῖν potuit. Praeterea verba ἐράνους λέλοιπε, quo magis nostro erano conveniant, minime confundenda sunt cum verbis ὑπολοίπους φορὰς, de quibus supra jam vidimus (3): etenim licet ἔρανος et φορὰ synonymae sint, ἔρανος tamen non nisi de solida menstrua pensione, quam collegii socii in arcam mittunt, intelligitur; quum φορὰ etiam de pensione minus absolutâ accipi soleat. — Sed vox φορὰ ad eranum amicorum nunquam referri potest. — Quibus perspectis, loci Demosthenei sensus huc redit: *Sceleratissimus est omnium hominum, quippe qui multos eranos, quibus ab amicis adjutus est, reddere negligit, et vero etiam aeri alieno obnoxius est.*

Aliter tamen hunc Oratoris locum accepit Heraldus (4), minime ille quidem sibi constans, qui, quum jam antea affirmasset ἔρανον esse reddendum, si amici vicissim indigerent ipsi, postea vero

---

(1) De Hagniae heredit. p. 293. sq. (88). Tom. VII. R.
(2) Vid. Orat. adv. Aphobum *A.* p. 821. Tom. II. R., ibique Wolfius in Apparat. crit. in Demosthen. Vol. II. p. 855.
(3) Vid. C. II. §. 11. (4) Vid. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 3.

animadvertit eranum esse reddendum, si ille qui adjutus esset, abundaret; quae etiam erat Salmasii sententia, quam tamen evertere conatur Heraldus, inculcans ἔρανον esse *donum*. Etiamsi igitur ἔρανον amicorum reddi non oporteat, nisi reperiatur amicus egenus sortem mutasse, quid tamen intersit *donum* inter et ἔρανον, non est, quod cui, in hac materiâ vel parum versato, exponam: Ἔρανος enim annumeratur *debitis*, et longe aliud quid habetur ac *debitum*, ita ut ad debita amici cujusdam solvenda ἐράνους dare solerent amici. Sed aliud esse *ab amicis juvari*, aliud *creditoribus non solvi*, nemo erit, qui non facile affirmaverit.

Ad illud ὑπόχρεως γέγονε quod attinet; quid hoc aliud significat, nisi quem ita aere alieno obrutum esse, ut debitum debito cumulet, et amici eum juvantes oleum et operam perdidisse videantur? Quare non immerito πονηρότατος πάντων ἀνθρώπων dicebatur.

Ut tandem intelligamus, quid voluerit Heraldus, quum indicaret ἔρανον non nisi ex effectu reddi oportere, recte ejus de eranis, quos ad debita retulit, est perspicienda sententia, quae scilicet huc redit: ἔρανον esse debitum, respectu erani jam antea collati, ideoque ἐράνους esse ὀφλήματα. Quod quum non animadvertisset Salmasius, temere castigabatur ab Heraldo, cujus tamen sententia quo valeat, non satis me intelligere fateor. Namque erani, si per se ὀφλήματα sunt, ad beneficia referri nequeunt; sin ratione beneficii jam ante in quem collati, non aliter ad debita referri possunt, nisi quis eo pervenerit, ut sine magno incommodo id quod acceperit, reddere queat. Sic etiam omnis ἔρανος, quem tralatitium vocat Heraldus, propterea quod par pari in vita refertur, dici potest ὄφλημα.

§. 5.

Quam parum sibi constet Heraldus, apparet ex sententia, quam protulit ad Demosthenis Orationem contra Nicostratum, ubi asseverat incertum esse, utrum ἔρανος aliquando reddi possit, et vero ex ejusmodi collatione aes alienum solvi solitum. Quod quidem qui in dubium vocaverit, nemo facile reperietur. Haec enim sunt Oratoris verba: συλλέξας, δ' ἔφη, τὸν ἔρανον, ἐπειδὴ τοὺς ξένους ἀπαλλάξω, σοὶ ἀποδώσω, ὅ ἄν μοι χρήσῃς (1). Quae omnia, ut satis perspicua, nullâ indigent interpretatione. Et non multo post sic pergit Orator: τῶν δὲ κτημάτων σοι τῶν ἐμῶν κίχρημι, ὅτι βούλει θέντα, τῷ ἐπιλοίπου ἀργυρίου ὅσον ἐνδεῖ σοι, ἐμαυτὸν ἀτόκῳ χρῆσθαι τῷ ἀργυρίῳ, καὶ ἀποδοῦναι τοῖς ξένοις, συλλέξας δ' ἔρανον, ὥσπερ αὐτὸς φῄς, λῦσόν μοι τὰ κτήματα (2). Atqui hinc non constat ἔρανον esse ὄφλημα, sive pecuniam ad tempus mutuo sumtam, ut antiquius debitum solvatur; ita enim ἔρανον nunquam erogari solitum jam paucis indicavi, Salmasium gravissimum nactus patronum (3). Hisce Oratoris verbis perspectis, praetermittere vix potest Heraldus, quin affirmet ἔρανον non posse reddi, nisi egenus fortunam suam restituisset; sed caveus, ne causa cadat, addit »nisi fortasse ἔρανος eo loco pe»cunia est a pluribus mutuo data, τῷ ἐράνῳ in »eo similis, quod a pluribus confertur," et, ut ejus sententiam paucis absolvam, affirmet hoc casu pecuniam hanc mutuam rogatam redditum iri restitutâ fortunâ ejus, cui erani nomine data esset. Quod quâ fronte dixerit Heraldus, quis non intelligit? Ita enim se habet omnis eranus tralatitius, non aliter reddendus, nisi possit is, qui debet.

(1) Vid. p. 1249. Tom. II. R. (2) Vid. p. 1259. ibid. (3) Vid. §. 3. h. c.

Sed quo longius progreditur in argumentando, eo etiam magis se errasse sentit; habet nihilominus, quo se expediat, nil tamen afferens novi, nisi quod dicat temperandam priorem suam esse sententiam, et vero rationem esse habendam ἐράνων εἰσπεπραγμένων. Quos eranos ita reddi existimat, ut delinquentes judicio possint cogi. Qua de re infra erit dicendi locus (1). — Hoc igitur monuisse sufficiat, ἔρανον in amicos egenos conferri solitum nil aliud esse nisi debitum naturale (2).

§. 6.

Ex jam supra memorato Plautino loco quamvis apparet, non facile amicos hunc eranum sibi consecutos fuisse; praesertim quum didicerimus non semper sponte contulisse amicos, sed saepissime non prius, quam quis cuiquam amicorum sive sodalium supplex factus fuisset (3); non tamen a quovis eranum petere voluerunt indigentes, ne id quod in eos conferretnr speciem ἐλεημοσύνης referret, nunquam nulloque pacto reddendae, quippe quae in pauperes erogari soleret (4).

Accidebat tamen nonnunquam, ut amici vel sponte darent, vel postquam pecuniam (ἔρανον) rogati se collaturos promisissent, uti ex Terentiano, quem attulimus, loco colligere licet (5). Quo casu, ne viderentur amici egeni similes iis, qui ἐλεημοσύνην rogarent, curabant se quam maxime aequalibus, ejusdem nimirum vitae conditionis atque aetatis, supplices esse, uti testantur sequentes Terentiani versus:

(1) Cf. tamen Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 3. (2) Vid. infra §. 11. (3) Vid. Plautus in Asinaria I. 3. 92—95. (4) Conf. Salmas. de Usuris C. 3. p. 39; Casaubon. ad Theophr. Char. C. XV. §. 2. (5) Vid. Terent. in Phorm. IV. 4. 22.

Summa éludendi occásio'st mi nánc senes,
Et Phaédriae curam ádimere argentáriam
Ne cáiquam suorum aequálium suppléx siet (1).

Et vero aequales convenire auxilii indigenti refugium erat tutissimum: habebat enim senex neminem, cujus misericordiam excitaret magis illo, qui senectutis onera ferret ipse. Hinc non tantum periculum fecerunt amicorum, verum etiam sodalium (ἑταίρων), quibuscum arctius amicitiae vinculum erat contractum. Quare eleganter Philemon Comicus:

Ἀλλ' ἑταῖροι καὶ φίλοί σοι καὶ συνήθεις, νὴ Δία,
Ἔρανον εἰσοίσουσιν· εὐχοῦ μὴ λαβεῖν πεῖραν φίλων,
Εἰ δὲ μή, γνώσεις ἂν αὐτοὺς ἄλλο μηδὲν πλὴν σκιάν (2).

Haec igitur subjecit, postquam varios enumeravit casus, quibus homines fortunâ perfuncti ad pauperatem tandem redigi possent. Illi enim hujus Comici versus satis ostendere mihi videntur, ἔρανον ab amicis, sodalibus, omnibusque omnino necessitudinis vinculo conjunctis in amicum egenum et indigentem conferri solitum. Quod tamen quam minime sit optandum, indicat Philemon, interserens, nil esse, quod metuat ille egenus, praeter illud, ne ab amicis repulsam ferat, quos periculo illorum facto reperiat amicos tantum nomine, non veros fuisse. Sed ne illud quidem aegre ferendum esse ipsi, qui sciat eos nil esse nisi umbram, homini scilicet forti et constanti propositique tenaci, cui nil possit accidere mali, quod non revera malum sit, omniaque quae opinione habeantur mala facile memoriâ excidere, haud secus atque umbra effugit conspectum:

(1) Vid. Terent. ibid. V. 7. 2. (2) Vid. p. 346. ed. Clerici. Conf. Casaub. ad Theophr. l. l., ex cujus emendatione, vs. 3. restituimus αὐτοὺς, probante Grotio; olim enim legebatur σεαυτοὺς, quod servavit Petitus ad LL. Att. p. 526.

nil enim est sapienti adeo acerbum, quod non tempore elui possit, quo scilicet res humanae mutantur, uti testantur sequentes elegantissimique Sophoclis (1) versus:

> ..... ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
> Ἅπαντα τἀνθρώπεια.

Quae cum ita sint, amicis senique, utpote hominibus, unam sortem manere docuit Philemon, quo facilius senex sibi finem miseriarum reperiret. Sic apud Sophoclem (2) Ulysses, de Ajacis sorte praedicans, subjecit:

> Οὐδὲν τὸ τούτου μᾶλλον ἢ τοὐμὸν σκοπῶν.
> Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
> Εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κουφὴν σκιάν.

§. 7.

Accidebat saepissime, ut, simul ac quis ab amicis ἔρανον accepisset, quo creditoribus solveret, illi creditores, ea de re certiores facti, eum statim nullâque interpositâ morâ convenirent: quod quidem videre est ex sequenti Aristotelis loco, ubi exemplum proponit eorum, quae κατὰ τύχην eveniunt: οἷον, inquit, ἕνεκα τοῦ ἀπολαβεῖν τὸ ἀργύριον ἦλθεν ἄν κομιζομένου τὸν ἔρανον, εἰ ἤδει (3). Hac igitur lectione, quam Casaubonus (4) ex Philopono protulit, probatâ, sensus clarus est, ita ut ἀπολαβεῖν ad creditorem urgentem, κομιζομένου vero ad debitorem, qui ἔρανον ab amicis consecutus sit, referamus.

Sic etiam ἔρανος referri potest ad amicitiae genus, quod Aristoteles ἠθικὸν vocat (5), quum dicit: ἡ δ' ἠθικὴ, οὐκ ἐπὶ ὑητοῖς, ἀλλ' ὡς φίλῳ δωρεῖται, ἢ ὅτι δήποτε ἄλλῳ. κομίζεσθαι δ' ἀξιοῖ τὸ ἴσον, ἢ πλέον, ὡς οὐ δε-

(1) In Ajace vs. 131. sq. edit. stereot. (2) Loco laud. vs. 124. sqq. (3) Aristot. Phys. Acroas. II. 5. (4) Ad Theophrast. Char. C. XV. §. 2. (5) Vid. Ethic. Nicom. VIII. 15.

δοσιν, ἀλλὰ χρῆσας. Est igitur moralis illa amicitia medium quid vulgarem inter amicitiam, quâ gratis amici amicos donis cumulant, eamque, quae hominibus cum humano genere intercedit, qualis in omnibus negotiis perficiendis requiritur, bonaeque fidei nomine insigniri solet; quae nimirum hoc sibi propositum habet, ut par pari in vita referatur, sive, ut Aristotelis verba reddam, jure merito quis aut par consequatur, aut, si fieri possit, plus quam in alium contulisset, ut non dono sed mutuo dedisse videatur. Quare ἔρανον mutui speciem referre recte animadvertit Salmasius: namque trifariam vulgo mutuum accipitur: 1°. Cum usuris (δάνεισμα). 2°. Sine usuris ab uno uni datum (χρῆσις). 3°. Nullâ interveniente usurâ a pluribus uni datum (ἔρανος). Sed haec de mutuo dicta sufficiant (1). Quum porro ἔρανος dari atque erogari plerumque soleret, postquam quis amicos rogasset, ab iisque, quod opus esset, collegisset, recte dicitur συλλογή, tanquam pecunia a pluribus corrasa, eodem modo ac Cicero vocem *collectam*, licet de alio erani genere, usurpat (2).

---

(1) Minus recte Salmasius χρῆσιν, quid sit, explicans, confundit verba *mutuo dare* et *commodare*, quam dicit: » quod enim amici multi mutuo dabant, erat plane ἔρανος, qui » pecuniam amico commodabant ad aliquod tempus, quae pro» prie χρῆσις pecuniae dicebatur, id est, commodatum. Sed et » onane mutuum χρῆσις Graecis, quod sine usura datur. cet." Vid. de Usuris C. 8. p. 60. Atqui aliud est *commodare*, aliud *mutuo dare*. *Commodatum* namque in specie restituitur; *mutuum* vero in genere. Cf. porro Heineccii Recit. ad Justiniani T. Lib. III. §. 792. sqq. Salmasium hoc discrimen probe scivisse, apparet ex C. 2. p. 32. de Usuris: ibi enim verbi *commodare* tradiderat significationem satis accuratam: quare hisce insistere nolim, quum facile mihi persuasum habeam, Salmasium significationi vocis χρῆσις illustrandae ita intentum fuisse, ut de subtilitatibus juris vix cogitaverit. (2) De Orat. II. 57.

Hanc significationem vocis συλλογὴ ob oculos habuit Theophilus (1), scribens: καὶ αἱ τοῦ δήμου ἐκλήθησαν στιπενδιαρίαι ἐντεῦθεν, ὅτι στίπες ἐστὶν ὁ ἔρανος, καὶ ἡ κατὰ μικρὸν γινομένη τοῦ ἀργυρίου καὶ τῶν ἄλλων συλλογή. (2).

§. 8.

Quum ille ἔρανος, ubi colligitur, facile possit videri ἐλεημοσύνης referre speciem, praesertim si fiat collectio in via, accepimus idcirco ἔρανον non erogari solitum nisi inter amicos, ita ut amicus ab amico vix posset repulsam ferre, nisi incidisset in amicum illiberalem, qualem exponit Theophrastus: καὶ φίλου ἔρανον συλλέγοντος προϊδόμενος ἀποκάμψας ἐκ τῆς ὁδοῦ οἴκαδε πορευθῆναι (3). Quid enim illiberalius amico occursum evitante amici ἔρανον rogantis? Hinc satis, opinor, clarescit ἔρανον colligentes neque quemvis convenisse, neque cujusque domos adiisse, veluti mendicos. Quod quum sciret ille illiberalis, e longinquo videns amicum paupertate afflictum ejusque operam imploraturum, deflectebatur de viâ, domum petens speransque ita fore, ut amicus egenus ipsi non amplius molestus esset: illiberalem illum hominem de statu amici adverso jam certiorem fuisse factum, colligere licet ex προϊδόμενος: hujus enim verbi eam credo esse

(1) Ad Justinian. Instit. L. II. Tit. de rerum divisione. §. 40. (2) Sic Hesychius exponit ἐρανίζεται· συλλέγει (ἔρανον). — Photius in Lexic. MS. ἐρανίζεται explicat τὶ λαβεῖν ἔρανον, ἢ συλλέξαι παρὰ τινός. Conf. Casaubon. ad Theophr. Char. C. XV. §. 2., qui ἐρανίζειν *colligere*, opponit τῷ εἰσφέρειν *conferre*. Hinc videtur ἐρανίζειν et ἐρανίζεσθαι promiscue usurpari; quamquam in eo erani genere, ubi socii ἔρανον (pensionem menstruam) conferre solebant, nullâ aliâ nisi activâ significatione utimur. Vid. Wollius ad Kusterum de Verbis mediis p. 150. Conf. §. 8. infra. (3) Vid. Char. C. XXII. ibique omnino Astii Comm. p. 196.

vim, ut simul eo significetur amicus, satis mente providens se nullo pacto effugere posse, quin amico, obviam facto, etiamsi non roganti, pro viribus succurreret, propterea quod ipse prius adversam fortunam passus ab eodem amico adjutus fuisset (1).

Sed utut sit, res nihilominus eodem redit, quum satis appareat ἔρανον in viâ quidem colligi solitum, at longe alio modo ac mendicantes cogebant ἐλεημοσύνην, ne ii, in quos ἔρανος conferretur, quem vellent in viâ rogasse viderentur.

Habemus igitur effigiem hominis illiberalis in eo, quod opportunitatem amici juvandi eludere conatus sit. En, aliud praebet Theophrastus exemplum hominis ἔρανον conferre strenue recusantis, ubi dicit: καὶ φίλῳ δὲ ἔρανον κελεύσαντι εἰσενεγκεῖν εἰπὼν, ὅτι οὐκ ἂν δοίη, ὕστερον ἥκειν φέρων καὶ λέγειν, ὅτι ἀπόλλυσι καὶ τοῦτο τὸ ἀργύριον (2). Videtur illud ab homine quodam moroso sibique non constante dictum valde contumaciter; qui quum prius se pecuniam daturum negasset, amicumque ideo palam recusasset, postea tamen sponte contulit, interserens, se hanc quoque perdidisse pecuniam. Id tamen quî fieri potuerit, non intelligo: probe enim scivit morosus ille homo ἔρανον, ferente fortunâ, ut vidimus, esse reddendum. Quare non immerito ob-

(1) Quo casu illiberalis ille homo similis videtur debitoribus Romanis, qui, ut occursum creditorum evitarent, circa columnas et statuas sese occultabant in foro. Vid. fr. 7. §. 3. D. quibus ex causis in possess. eatur; et fr. 36. D. de reb. auctorit. Jud. possid. Conf. Doct. Pan Diss. l. p. 141 in not. (2) Vid. Char. C. XV. Περὶ ἀνθαδείας. Haec verba intelligenda sunt de eo, qui amicos in amici gratiam ἔρανον rogat. Cf. infra §. 14.

servat Casaubonus haec Theophrasti verba esse accipienda de eo, qui beneficium dare nescit (1).

Porro pro εἰσενεγκεῖν, quod idem est ac εἰσφέρειν, saepissime usurpari ἐπιδοῦναι docet Heraldus (2). Ita etiam sunt accipienda verba Chrysostomi ad Epist. Paulinam I. ad Corinthios, in homiliâ de Eleëmosynâ, p. 254. *E*, Tom. III. edit. Montf., annotantis: λογία οὐδὲν ἕτερον ἐστὶν, ἀλλ' ἢ συλλογὴ καὶ ἔρανος παρὰ πάντων ἐπιδιδόμενος. Quod, meâ sententiâ, commode sic redditur: *Oratio ad persuadendum apta nil aliud est, nisi collecta* (συλλογὴ), *sive ἔρανος ab omnibus sponte collatus* (3).

Aliud praeterea erat hominum genus, qui, ne recusantes viderentur illiberales, ἔρανον rogati, semper aliquid causabantur, aliàs se non habere, quod darent, aliàs vero etiam pecuniâ sibi opus esse ad quasvis res ad vitam sustentandam necessarias, aut hujusmodi quid, uti Dissimulator quidam apud Theophrastum, his verbis: καὶ πρὸς τοὺς δανειζομένους καὶ ἐρανίζοντας ὡς οὐ πωλεῖ, καὶ μὴ πωλῶν φησὶ πωλεῖν (4). Hîc enim sermo est de

---

(1) Vid. Casaubon. ad Theophr. Char. C. XV. §. 2. Conf. Sacer Scriptor, qui dicitur Ecclesiastes, C. XXIX. v. 13; Seneca de Beneficiis L. VI. c. 4. Hominis illiberalis indolem quo magis cognoscamus, operae pretium erit hunc Theophrasti Characterem integrum legisse. (2) Vid. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 1. (3) Est enim ἐπιδοῦναι *sponte conferre*. Vid. supra C. I. §. 9. Ne quis tamen inde conficiat ἔρανον fuisse fidelium stipem non repetendam: verba namque οὐδὲν ἕτερον ἐστὶν magis spectant liberalitatem et effectum, quam ipsam conferendi modum. Etenim Oratio, quamvis habita ad amicos, eo valuit, ut populi mores eâ emendarentur; quo satis sibi gratiae relatum iri credidit Orator. Aliter tamen locum accepit Heraldus, ἔρανον non esse *mutuum* inculcans. — Vid. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 1 et 2. (4) Vid. Char. C. I. Περὶ εἰρωνείας.

iis, qui mutuum rogant et ἔρανον colligunt; sed hunc Theophrasti locum misere vexatum esse animadvertit Salmasius (1), pro ἐρανίζοντας legens ἐρανιζομένους; hoc enim significare *exigere*, *colligere* (ἔρανον); illud vero *conferre*, *tribuere*, *dare* (ἔρανον). Verum enimvero haud scio, an illam ipsam lectionem satis tueri possim, quia vox ἐρανίζειν tum pro *colligere*, tum pro *conferre* accipitur; priori casu dicitur ἐρανίζειν τινὰ, altero autem ἐρανίζειν τινί (2). Locus tamen ex Salmasii sententia sic esset restituendus: καὶ πρὸς τοὺς δανειζομένους καὶ ἐρανιζομένους (3) εἰπεῖν ὡς οὐκ ἀργύριον εἶεν· πρὸς δὲ τοὺς ὠνητιῶντας ὡς οὐ πωλεῖ, καὶ μὴ πωλῶν φησὶ πωλεῖν (4). Ut sensus huc redeat: *mutuum eranumque rogantibus dicere illum Dissimulatorem sibi non esse pecuniam, mercesque ab eo emere cupientibus respondere se non vendere, tempore vero flagitante, licet non habeat, quod vendat, se nihilominus vendere.* Eadem fere erat Heraldi sententia, quae scilicet huc redit: *illum (Dissimulatorem) negare rem suam bene vendi, adeoque minus bene secum agi, quo facilius causetur, sibi*

(1) De Usuris C. 3. p. 62. (2) Vid. Salmas. Miscell. C. 2. p. 52. Cf. de Usuris C. 3. p. 43, ubi ἐρανίζειν activâ, ἐρανίζεσθαι contra passivâ significatione accipit. Sed ita Demosthenes in Oratione πρὸς Βοιωτὸν τοῦ ὀνομάτος, p. 99. Tom. II. R. »ἐφ' οἷς ἐρανίζει τούτοις τοῖς περὶ αὐτὸν," ad quem locum conf. Reisk. in Indice p. 367. sq. Vol. IV.; Harpocration in v. Ἐρανίζοντες, ibique Valesius in Notas Maussaci p. 114; Fischerus in Indice ad Theophr. v. Ἐρανίζειν. (3) Quam lectionem facile tueamur, quum ἐρανίζεσθαι non nisi *colligendi* significatione occurrat, nostroque loco, ubi verbum absolute ponitur, longe praestet, quo magis cum δανειζομένους cohaereat. — Conf. tamen Wollius ad Kusterum de Verbis mediis p. 149. sq. (4) Vid. Salmas. de Usuris C. 3. p. 62, cff. Duportus et Astius ad Theophr. Char. C. I.

non esse, unde liberalitatem exerceat (1). Si rem ita expedimus, quid est cur lectionem vitiosam putemus, eamque interpolatis verbis ὡς — ὠνητιῶντας restituamus? (2). Pro ὡς οὐ πωλεῖ ex Pavi conjecturâ legitur ὡς οὐ σχολὴ, *non vacat*, quae lectio, licet ingeniosa, an admitti possit, dubitaverim (3).

§. 9.

Ex ante dictis igitur licet satis appareat aequitatem suadere amicorum adversae fortunae succurri, nemo tamen ad beneficientiam poterat cogi. Neque alia est Heraldi sententia (4), in hoc vero discrepantis, quod dicat amicos aliquando ad beneficium esse obligatos, si nimirum ab iis, qui rogarent, prius ipsi, dum ita ferret fortuna, essent sublevati, aut si quis illud munus suscepisset. Sed haec, quippe ad aequitatem pertinentia, nil nos moveant. Namque omnis hujusmodi beneficientia referri potest ad officia, quae vocant imperfecta, sive ad justitiam, quam attributricem dixit Grotius (5), quâ scilicet officia non ex jure expletorio, sed κατ' ἀξίαν debentur (6). Quae qui negligit humanitatis expers est beneficioque, quod in se conferatur, indignus, et vero Jure Attico ἄτιμος erat (7). Quare ἐρανικὰς δίκας ex hoc erani genere exterminata velim, quae judicia ad nullum aliud erani genus pertinent, nisi ad corpora opificum, sive ad societates, tum utilitatis, tum communis quaestus gratia, institutas.

---

(1) Vid. Observ. et Emend. C. 44. (2) Conf. Fischerus in Notis ad laud. Theophr. Char., et in Indice v. *Πωλεῖν*. (3) Conf. de hac lectione Fischeri Notae ad l. Theophr. Char., et omnino Doctiss. Pan, in Diss. laud. p. 140. sq. in not. (4) Vid. Observ. et Emend. C. 44. (5) De Jure B. et P. I. 1. 8. (6) Conf. Aristot. Ethic. ad Nicom. V. 6. (7) De poena ἀτιμίας conf. Petit. ad LL. Att. p. 469. sqq.

Operae pretium est de illâ benignitate nosse Heraldi sententiam, dicentis: »addo etiam, etsi actio »adversus eum, qui amicorum benignitate sustenta»tus, meliorem fortunam nactus erat, non daretur, »pudore tamen et honestatis respectu et officio fuisse »obligatum. Nam quâ fronte homo generosae men»tis, in re praeclara et ampla constitutus, non red»deret amicis, qui cum fortunâ adversâ premere»tur, eorum munificentiâ sibi collata acceperat, »hacque ope ex inopiae incommodis emerserat? (1). Digna, profecto, sententia, quae proferatur ab eo, qui judicia eranistica ex nostro erani genere non omnino exterminata velit!

Quam parum tamen sibi constet Heraldus in judiciis illis eranisticis probandis, testantur ea, quae haud multo post pergit ille horum judiciorum patronus. »Ob ea, *inquit*, quae gratuito conferuntur, »aut fiunt, nulla datur actio, contrahitur tamen »obligatio naturalis ad *ἀντίδωρα* (2)." Tollit igitur, ut vidimus, obligationem civilem ad eranos reddendos, substitutis querelis, quae existimationem laedunt. Sed haec hactenus. Quid multa? Plura qui desideret, a me tamen, quippe cum argumento minus cohaerentia, silentio praetermissa, adeat ille Heraldum (3).

(1) Vid. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 1. (2) Sic apud Isaeum de Astyphili heredit. p. 244. (77), Tom. VII. R. objicitur Hierocli se non gratiam retulisse idoneam iis, quorum beneficium pejore sorte usus expertus fuisset, his verbis: *καίτοι, Ἱεροκλεις, πολλὰ κἀγαθὰ παθὼν ὑπὸ Θεοφράστου, τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ, ὅτε χεῖρον ἔπραττες ἢ νυνὶ, καὶ ὑπὸ Ἀστυφίλου, οὐδετέρῳ αὐτοῖν τὴν ἀξίαν χάριν ἀποδίδως.* Etenim aliter obtinebat Jure Romano, quo scilicet ad *ἀντίδωρα* actio nulla dabatur. Cf. Everard. Otto ad Pufendorfium de Officio Hominis et Civis I. 8. 8. Neglecti vero beneficii judicium dari iniquum rectaeque rationi non consentaneum esse, animadvertit Seneca de Beneficiis III. 7. (3) In Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 1.

§. 10.

Quae quum ita sint, qui judicia ad nostrum ἔρανον referat, nemo facile reperietur: namque ἔρανος, simul ac datur, est res merae liberalitatis: Salmasii tamen sententiam quod attinet, dicentis ἔρανον esse *mutui genus*, id non aliter procedit, nisi ex eventu: non enim ante potest constare, utrum ille ἐράνῳ sublevatus opes unquam restituturus sit (1). Quâ de re postquam certior factus esset ille, qui ἔρανον in amicum contulisset, statim habebat, quod moneret amicum, ut redderet, quod accepisset; nullo tamen pacto institutis querelis eranisticis (2).

Sed quum haud facilis res sit in facultates alicujus inquirere, ut demum sciant homines an beneficium collatum referri possit; si non aliunde, hinc saltem suspicari licet, nullum reddendo beneficio praestitutum fuisse tempus. Reddat igitur quisque tempore sibi quam maxime commodo, neque, ut putat Heraldus, si illi, qui beneficium contulissent, indigeant ipsi. Quid igitur, si singuli aut plerique

---

(1) Vid. Salmasius de Usuris C. 3. p. 41; Miscell. defens. C. 1. p. 4, ubi legimus, »Nam genus illud collationis (ἔρανος »scil.) apud Graecos affine mutui, plane mutuum evadit ex »eventu, cum etiam, si usus veniat, alienatio plerumque exis»tat, si contingat, eum, cujus in gratiam collectus fuit ἔρανος, »non posse ex inopiâ emergere." Distinguit igitur inter *mutuum* et *alienationem;* at minus recte, namque in *mutuo* fieri *alienationem* docent JCti, quod res mutuo data statim fit accipientis. Conf. Justiniani Instit. Lib. III. Tit. quibus modis re contr. Obligatio; add. fr. 1. §. 2. D. de O. et A., fr. 2. D. de reb. cred. — De hac quaestione, *mutuumne* sit *alienatio*, an minus, operae pretium erit contulisse Thesaurum Juris E. Ottonis Tom. II. p. 1253; ubi Salmasius suam sententiam strenue defendit; Heraldus vero in Observat. ad Jus Att. et Rom. VII. 20. *mutuum* revera esse *alienationem* satis superque demonstrat. (2) Solebant tamen Athenis institui querelae de ingrato animo. Vid. infra §. 11. in fine.

omnes benefactores deinceps alterius auxilium desiderent? Quo casu non credo illum sublevatum facile inventurum, unde singulis solvat. — Quod tamen affert Petitus, ἔρανον intra mensem esse reddendum, id minus huc pertinere jam a Wesselingio refutatum est (1): ille enim Petiti error contractus est ex male intellectâ Harpocrationis interpretatione vocis ἐρανιστῆς, quae vox, non nisi de perfecto eranistarum collegio accipi potest. Quocirca subit mirari, quî factum sit, ut Petitus dictum Harpocrationis locum non melius intellexerit. Fac vero legum Atticarum peritissimum illum virum hanc ἐρανιστοῦ expositionem merito quodammodo retulisse ad eum, qui ἐράνῳ juvari soleret, non ideo inde sequeretur ἔρανον (*collatum*) intra mensem esse reddendum; sed magis illum erani debitorem quovis mense partem reddere debere, donec integrum collatum reddidisset, ita tamen ut prius a singulis amicis definiretur, quantum quovis mense esset restituendum. At vero non ita res se habet. Quidquid tandem hujus rei sit, quin illa Petiti sententia multis ambagibus obnoxia sit et a vero vehementer abhorreat, nemo erit, qui infitias iverit. Quare hac de re ita ratiocinatur Salmasius: »Quid ea res, quaeso, ju»visset illum aere alieno obrutum, quem amici stipe »collatitiâ liberaverant, si eodem modo, quo credi»toribus solitus erat, similiter amicis solvere coactus »esset per singulos menses, quod illis debebat (2).«

§. 11.

Neque igitur Heraldi, licet Salmasio strenue, ut

(1) Vid. Wesselingii Notae ad Petiti Comm. ad LL. Att. p. 526. sq. (2) Vid. de Usuris C. 3. p. 43. De tempore, intra quod creditoribus solvi poterat, conferri meretur Fabrottus in Replicat. adversus Cl. Salmas. in Thesauro Juris Ottonis Tom. III. p. 1252. sq.

vidimus, adversantis, erat eadem, quae Petiti, sententia. In hoc tamen ei convenit cum Petito, quod ἐρανιστὴν ad eum, qui pecuniâ sublevaretur, refert, ac si erani ita particeps esset, ut nil nisi commodum ex eranistarum societate perciperet (1). Quod quidem facile fieri posset, si nullâ aliâ de causâ, nisi ut socii ad paupertatem redacti ex arcâ communi sublevarentur, collegia essent instituta (2); sed hujus rei nusquam Graeci, quod sciam, vestigia reliquerunt (3).

Hanc enim fuisse Heraldi sententiam, cum ipse diserte fatetur, tum vero etiam ex perperam intellectâ Harpocrationis expositione vocis ἐρανιστὴς suspicari licet, modo sibi constet Heraldus, negans aliud se cognoscere collegium eranistarum, nisi nostrum ἔρανον. Verum enimvero Doctissimus ille vir (quod pace ejus dixerim) a vero longe abest. — Quod non ita dico, ut ejus doctrinae quid derogetur; sed, ut cuivis appareat, quanto ille ad Salmasium impugnandum pervertendi studio fuerit abreptus. Ut tandem suam de eranistis sententiam probet, paucis eam concludit, dicens ἐρανιστὴν proprie significare eum, qui ἔρανον confert, et ex consequenti, qui beneficii τῶν ἐρανιστῶν particeps est. Quod tamen argumentum non satis firmo mihi videtur stare talo. Quid, quaeso, attinet beneficii participem vocare socium, in quem commoda lege quâdam societatis redundant? Non enim potest excogitari beneficium sine benefactore. Fac igitur in hujusmodi collegio, tum eum, qui ex arcâ societatis sublevaretur, tum caeteros socios, omnes simul

(1) Vid. Herald. Observ. et Emend. C. 43. (2) Conf. Casaubon. ad Theophr. Char. C. XV. §. 2. Cujus eadem fuerat sententia. (3) Secus tamen obtinuisse apud Romanos, ostendit Salmasius de Usuris C. 3. p. 40. sqq.

fuisse benefactores, adeoque beneficium niti pacto inter socios inito. Quid? quod contractu initur societas, a quâ differt collegium, tanquam genus a specie. Hinc eranistarum collegium niteretur contractu quodam aleatorio, cujus incertus est eventus: namque initâ societate non simul constat, quis sociorum pensionis illatae fructum percepturus sit. Quare beneficium, quod urget Heraldus, missum faciamus, quum beneficium non pacto dari, sed gratis conferri soleat. Quod tamen non impedit, quo minus teneamus ἔρανον esse beneficium, quod ita datur, ut recipias par pari: est enim haec tacita quaedam conditio, quae magis aequitati bonoque erga amicos animo, quam quidem contractui, inest.

Haec ad Heraldi opinionem refellendam sufficiant, putantis nimirum, tum in Graecia, tum maxime Athenis, viguisse collegia legibus judiciisque adstricta, quibus nil aliud esset propositum, nisi ut socius socium a calamitatibus securum praestaret. Quod quidem secus obtinuisse, cum ex ante dictis jam constat, tum infra videbimus (1).

Rationibus igitur subductis, nec vera videri potest Heraldi sententia, affirmantis judicia esse instituta propter ὀφλήματα εἰςπεπραγμένα, quorum mentionem injecit Isaeus (2); sed ὀφλήματα illa ex erano contracta, si debiti naturam induunt, uti ex ipsâ voce apparet, non nisi ad debitum naturale,

(1) Hic non possum, quin Salmasii inconstantiam verbo exponam; qui quum prius firmiter negasset judicia eranistica ad nostrum eranum pertinere, postea ab Heraldo victus priori sententiâ prorsus cadit. Vid. de Usuris C. 3. p. 49; cf. Miscell. defens., C. 1. p. 6, ubi assentitur Casaubono et Heraldo. Conf. Casaubon. ad l. Theophr. Char.; Herald. Observ. et Emend. C. 44. et Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 1. (2) De Hagniae heredit. p. 294. (88), Tom. VII. R.; Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 3. Cf. supra §. 4 et 5. h. c.

cujus nulla est in foro obligatio, referri possunt (1). Haec igitur erat postrema Heraldi prǫ suâ de judiciis eranisticis sententiâ argumentatiǫ. Attamen inde nullo pacto procedit, judicia de eranis reddendis unquam institui solita, verum ut ἀτιμίᾳ plecterentur ingrati (2).

§. 12.

Quod vero dicit Heraldus, erana (3) in *publica* et *privata* dividi, id a veritate longe remotum est: re autem bene perpensâ, omnia erana amicis juvandis destinata sive collata, erant privatorum, adeoque *privata*. Nulla enim erant *publica* erana, nisi collegia eranistica, utpote publicâ auctoritate permissa, non illa quidem ab Heraldo inculcata, sed quae ex mente Aristotelis supra exposuimus (4). Neque alteram Heraldi divisionem in erana *ordinaria* et *extraordinaria* esse admittendam putaverim: erant enim omnia erana *ordinaria;* cujus rei causa erogarentur, perinde erat. Consilium nimirum amicorum juvandorum erat *ordinarium*, ad *privatos*, nullius collegii, sed amicitiae tantum, vinculo junctos, pertinens, quo facilius juvandi daretur opportunitas. Sed de modo, quo amici illud consilium persequerentur, deinde erit dicendi locus.

Quum igitur Atheniensium morem jam magnâ ex parte illustraverimus, ut appareat ἔρανον eos dedisse ob rem quandam vulgarem, qualis egestas habetur; aliud itidem et vero summae beneficientiae genus citat Demosthenes; quae tamen an, velut par pari, referri possit, affirmare non ausim. Illud nimirum

(1) Conf. Fabrotti Replicat. loco laud. p. 1253. sq.; cui tamen non per omnia assentior. (2) Conf. supra §. 9. h. c. (3) *Erana* (neutr. pl.) quoque usurpari docent Suidas et Hesychius in v. *Ἔρανα* singuli; add. Hesychius in v. *Ἔρανον*, ibique Interpretes. (4) Vid. Ethic. Nicom. VIII. 11; conf. fr. 4. D. de coll. et corp.

sibi propositum habebat, ut λύτρον ad amicum captivum ab hostibus redimendum inde solveretur; pecunia enim hoc consilio in amici gratiam erogata erani instar habebatur, sive consilium ipsum, sive eventum respïcias. — Oratoris locus, ex quo appareret hanc pecuniam *erani gratuiti* esse genus, invenitur in Oratione in Nicostratum, his verbis: χιλιάς τε δραχμὰς ἔρανον αὐτῷ εἰς τὰ λύτρα εἰσοίσοιμι (1). Cujusmodi igitur ἔρανον ad collegium quoddam *extraordinarium*, unde eximii auxilii indigentes juvarentur, retulit Heraldus. Negari quidem nequit, quin beneficium captivi redimendi sit eximium, atque illud hujusmodi, ut, qui reddat, non facile invenias: sed haec non obstant, quo minus eodem, quo caeteri erani, consilio conferretur, neque adeo dono daretur, ut ex Heraldi sententiâ confecit Spanhemius (2), et vero probavit argumento ex ipso Demosthene ducto, ubi in eadem Oratione, haud multo post, sequuntur verba haec: καὶ τοῦτο ἔδωκα δωρεὰν αὐτὸ τὸ ἀργύριον, καὶ ὁμολογῶ δεδωκέναι (3). Sed integer locus erit legendus, quo magis animadvertamus Heraldi inconstantiam, affirmantis id, quod jam negaverat, nimirum ἔρανον *donum* esse mere *gratuitum*. An fortasse, quod dixerit Apollodorus se pecuniam εἰς τὰ λύτρα dedisse? An, quod verba καὶ ὁμολογῶ δεδωκέναι, quae haud multo post apud Oratorem occurrunt, hanc sententiam confirment? Sed vereor, ne Apollodorus haec subjecerit, ut probaret pecuniam revera fuisse collatam. Hinc facile confici potest, quanti interesset civitatis captivos redimi, ne hostium illi mancipia manerent,

(1) Vid. p. 1249. Tom. II. R. (2) Ad Callimachum in Hymn. in Cerer. v. 73. Conf. Herald. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 3. (3) Vid. Oratio in Nicostratum l. l.

et vero ἔρανον hoc nomine conferri, ne eorum, qui redemissent, fierent proprii. Nam sic legimus apud Demosthenem in eâdem Oratione: οἶσθα δ'ἔφη, ὅτι καὶ οἱ νόμοι κελεύουσι, τοῦ λυσαμένου ἐκ τῶν πολεμίων εἶναι τὸν λυθέντα, ἐὰν μὴ ἀποδιδῷ λύτρα. κ. τ. λ. (1). Atque ita quidem ii, qui contulissent, publicae utilitati consulentes, simul suo commodo consuluisse videbantur. Quocirca hujusmodi ἔρανος cum symbolis convivarum quodammodo conferri potest: namque hoc sensu vox apud Callimachum (2) poni mihi videtur.

Summa igitur rei huc redit, ἔρανον, qualis occurrit apud Demosthenem, esse pecuniam, licet in *publicam* utilitatem, tamen a *privatis* datam; et vero *ordinario* modo erogari solitam, etiamsi ad rem *extraordinariam* conferretur.

Ad quem ἔρανον, si utilitatem respicias, non in unum, sed in plures simul homines redundantem, referri quoque potest Graecorum mos pecuniae meretriculis dandae, unde libertatem illae sibi vindicarent, ne amplius foedo quaestui addicerentur. Sic Demosthenes in Oratione in Neaeram καὶ δίδωσιν αὐτῷ τὰργύριον, ὃ παρὰ τῶν ἄλλων ἑραστῶν ἐδασμολόγησεν..... ἔρανον εἰς τὴν ἐλευθερίαν συλλέγουσα (3). Hinc enim constat, meretriculas pecuniam ab amatoribus acceptam, tanquam solutionis pretium (λύτρον), ut plurimum, solvisse lenoni. Sed haec obiter et cum veniâ lectoris dicta sunto.

§. 13.

Caverunt igitur amici, ne ad paupertatem redigeretur amicus, unde summae saepissime hominibus miseriae contraherentur, praesertim, si quis judicis

(1) Cf. Demosth. in Nicostratum, p. 1249. in fin. sq. Tom. II. R. (2) In Hymn. in Cerer. v. 73. (3) P. 1355. Tom. II. R.

sententiâ omnibus bonis esset evolutus; cujus rei exemplum proponit Antiphon, cum dicit: *περιγενόμενος δὲ καὶ λειφθεὶς, κἂν ἔρανον παρὰ τῶν φίλων συλλέξας, οὐκ ἂν εἰς τὰ ἔσχατα κακὰ ἦλθον* (1). Qui locus, ut recte intelligatur, retinendum putaverim *λειφθεὶς* pro *ληφθείς*. Significat enim *λείπεσθαι*, *relinqui*, *inferiorem esse*, *superari*, *vinci*, *convinci* (2). Sensus igitur huc redit: *quandoquidem salvâ vitâ in judicio convictus sum, adeoque causa cecidi, etiamsi hanc ignominiam essem passus, ut ab amicis flagitare ἔρανον necesse haberem, non tamen ad incitas essem redactus.* Nil enim sibi prodesse, quod non ad mortem sit condemnatus, affirmat miser ille homo, qui adeo turpiter vitam degere cogatur, ut quidvis perpeti mallet. Hinc confici potest, quam esset ignominiosum ab amicis ἔρανον corradere. Quî enim alioquin scriptum fuisset *κἂν*, si non ita esset posita illa particula contracta, ut *οὐκ ἄν* ei responderet (3) hunc fere in modum, ut intelligeretur ἔρανος ad ἔσχατα κακά, si non referri, accedere saltem quam maxime (4). Unde in primis

(1) Vid. Apolog. sive Orat. III. p. 635. sq. Tom. VII. R. (2) Vid. Aelian. V. H. I. 23, ibique Perizonius; add. Suidas in v. *Λείπεσθαι· ἡττᾶσθαι*. Minus recte, ut mihi videtur, Hauptmannus in Specim. Annot. in Antiphont. p. 838, Tom. VII. R. vertit *relictus in urbe*. Neque alia erat Taylori sententia. Vid. ejus not. p. 848. eod. Reiskius habet *οὐ λειφθεὶς*, ut idem valeat, atque *περιγενόμενος*. Vid. in annot.; add. ejus Access. ad Antiphont. p. 853. eod., ubi *ληφθεὶς* posse defendi affirmat, ut accipiatur pro *καταληφθεὶς*, *damnatus*. (3) De hisce particulis conf. Hoogeveen. ad Vigerum de Idiot. Ling. Gr. p. 425 et 475. (4) Licet igitur ἔρανος per se non sit *ἔσχατον κακὸν*, in eo tamen haud multum aberat a miseria, quod saepissime, inprimis urgente necessitate, non nisi flagitatus daretur. Sic apud Plautum leno, cui argentarius argentum, quod ipsi debebat, non reddiderat, ad amicos confugit, qui, unde leno prius creditoribus solveret, con-

credo factum, ut indigentes, quo magis hanc colligendi molestiam evitarent, saepissime hoc negotium hominibus inde vulgo rem quaerentibus (ἐρανέμπολοις) locarent (1). Inde Hesychius eos exponit ἐξ ἐράνων ἐμπωλοῦντας (2); quibus Suidas subjungit ἀπὸ τῶν ἀρχῶν. Quae tamen verba suspecta videntur Kustero (3). Neque hanc lectionem probavit Heraldus legens ἐπὶ τῶν ἀργῶν: ut hoc dictum sit *de hominibus otiosis, qui eranis corradendis vitam otiosam et inertem sustentarent, aut etiam de mendicantibus validis* (4). Id minus recte confecit ex Libanii quodam loco, in Declam. XI, ac si ibi parasitus περὶ τῶν ἐρανιζομένων ita loqueretur, ut eos referret ad homines importunos et molestos aliisque negotium facessentes. Haec enim sunt Libanii

---

contulerunt. Haec enim sunt Comici verba, in Curculione, Act. V. Scen. 3. v. 5. sqq.

Postquam nihil fit, clamore hominem posco, ille in jus me vocat.
Pessume metui, ne mihi hodie apud Praetorem solveret.
Verum amici contulerunt, reddit argentum domo.

Casaubono ad Theophr. Char. C. XV. §. 2. assensum praebens v. 7. lego *contulerunt* pro *compulerunt*. Namque nisi contulissent amici, periculum erat, ne cessione bonorum creditoribus solvere cogeretur. Quibus nimirum argentarius consuluit, negans se debitum soluturum lenoni, quippe quod commodius solvi posset ejus creditoribus. Minabatur igitur argentarius se aditurum Praetorem, qui decreto caveret, ut creditores in possessionem bonorum lenonis mitterentur. Vid. fr. 26. D. de pign. act.; Const. 1 et 2 C. de praetor. pign. et Tit. Dig. Quibus ex causs. in poss. eat; conf. Ciceronis Orat. pro Quintio Cap. 26 et 29; add. universe Doctiss. S. J. E. Rau in Disput. ad hanc Orat. p. 37. sqq. et 86. sq. L. B. 1825. Quae vero immissio quo minus procederet, impediverunt amici; quo factum est, ut argentarius apud eum domi solveret.

(1) Conf. Salmas. de Usuris C. 3. p. 63. (2) Vid. in v. *Ἐρανέμπολοι*. (3) Ad Suidam in v. *Ἐρανέμπολος*· *τοῖς ἐκ τῶν ἐράνων ἐμπωλῶσι. ἀπὸ τῶν ἀρχῶν*. (4) Vid. Observat. ad Jus Att. et Rom. VI. 5.

verba: *ἐτρύφων οὐδὲν ἀναλίσκων· ἔπινον, ἐμέθυον· ἐν μύροις ἤμην, καὶ πότοις, καὶ ὀρχήμασι· καὶ πάντα ἐπανηγυρίζον τὸν ἐμαυτοῦ βίον. οὐ τῶν ἐπ' ἀγορᾶς ἤμην, οὐ τῶν ἐρανιζομένων, οὐ τῶν ἐπὶ βήματος πράγματα ἑτέροις παρεχόντων.* — Atqui hinc nullâ ratione colligo vocem *ἐρανιζομένων* de mendicantibus accipi oportere, sed per contemtum potius occurrere pro iis, qui ipsi *ἐράνους* rogant alios, in viâ obviam factos: ita enim, credo, praedicare solebant ii, qui vitam ipsi satis lautam degentes, amicum tamen egenum, si viderent, aut effugiebant, aut morose recusabant. Quo tandem modo hanc lectionem *ἐπὶ τῶν ἀργῶν* tuear, non invenio. Quid vetat, quo minus lectionem *ἀπὸ τῶν ἀρχῶν* retineamus, modo eam ita interpretemur, ut sit *ab iis, qui erani auctores sunt;* quorum scilicet e re illi *ἐρανέμπολοι* hanc mercaturam suscipiunt. Fueritne illud eorum munus honestum, an minus, ut quaeramus, non est hujus loci (1).

§. 14.

Illi *ἐρανέμπολοι* nostro in erano minime sunt confundendi cum *ἐρανάρχαις;* de quibus quum jam superiori capite viderimus, pauca dicenda supersunt. *Ἐρανάρχης*, si eranum amicorum spectes, vocabatur is, *qui stipibus erogandis praeërat.* Sic quoque vocem accepisse mihi videtur Hesychii (2) interpres Diogenis Laërtii locum proferens, ubi nimirum legimus: *ἔρανόν ποτε αἰτούμενος, πρὸς τὸν ἐρανάρχην ἔφη, Τοὺς ἄλλους ἐράνιζε, ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας* (3). Quae verba minus recte, ut opinor, ad convivia solutiora retulit Spanhemius (4). Ille enim, qui hisce conviviis praeërat, eorumque erat moderator,

(1) Vid. tamen infra §. 15. (2) In v. *Ἐράνιζε*, sed minus bene expositâ. (3) Vid. in Vitâ Diogenis Cynici. Lib. VI. segm. 63, ibique Aeg. Menag. p. 250. et Kuhn. p. 526. (4) Ad Callimach. in Hymn. in Cerer. v. 73.

curator, dux, magister, proprie dicebatur συμποσιάρχης, quem eundem putavit, atque ἐρανάρχην, sive collegii eranistarum praefectum, de quo Diogenem Laërtium cogitasse verisimile non est, quippe cui de erano a paucis, quos vellet unus, petendo, sermo erat; secus ac in collegiis eranisticis fieri solebat. Adierat nempe amicus quidam ἐρανάρχην, amicum nimirum talem, qualem sciebat colligendi provinciam facile et vero gratis suscepturum; quo praesertim auctore fieret, ut ab aliis ἐράνῳ juvaretur: at Diogenes Canis itidem ἔρανον rogatus, respondit eranarchae: »*Frustra me rogas. Quidni potius alios* »*convenis?*" Luditur nimirum hîc in versu Homerico, quem videtur Diogenes reformasse, et ad id, de quo agebatur, accommodasse. Etenim ἔρανον αἰτούμενος hoc loco passivâ, non mediâ, formâ accipi, orationis nexus Diogenem Laërtium inspicienti facile persuadebit. Ex Heraldi emendatione legimus ἐράνιζε, quum plerique omnes editiones habeant ἐνάριζε (1). Est enim ἐρανίζειν cum casu quarto ἔρανον αἰτεῖν (2). Sic apud Lucianum αἰτήσαντι (3) accipio de egeno ἔρανον rogante, quod tamen a Spanhemio (4), sed, ut arbitror, minus recte, intelligitur de eo, qui coenam petit.

(1) Ut scilicet in literarum conversione esset acumen. Vid. Herald. Observ. et Emend. C. 43: et vero in pronunciandi celeritate ἐράνιζε ab ἐνάριζε vix ab audientibus distingui potest. Quemadmodum Diogenes dixit ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας, sic quoque in verbis saepissime lusit Cicero, veluti in Epist. ad Att. L. XIII, Epist. 13 et 24 legimus αἰδέομαι Τρῶας; et sic sexcenties. (2) Sic v. gr. apud Demosthenem in Orat. IIIia de Lycurgi liberis p. 1484, Tom. II. R., cujus meminit Harpocrat. in v. Ἐρανίζοντες, ubi vide Valesium p. 32. (3) In Timone §. 45. Cf. infra §. 15. (4) Ad Callimach. l. l., ubi vide, quos laudat, Interpretes, quam sententiam etiam fovet Salmasius in Miscell. defens. C. 3. p. 63 et 65; aliter tamen, et recte, ut opinor, rem expedit Heraldus. Vid. Observ. et Emend. C. 43 et 44. et Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 5.

Erat igitur ille ἐρανάρχης amicus, qui erani colligendi curam pro amico gratis suscipiebat, qualem Theophrastus respexit, dicens: φίλῳ ἔρανον κελεύσαντι εἰσενεγκεῖν (1). Quae verba minus recte accepisse mihi videtur Salmasius, exinde nimirum conficiens amicos indigentes non alteri id negotium mandasse, verum ipsos ἔρανον collegisse (2): namque hoc casu nullus in erano egenorum ἐρανάρχης requireretur. Quod vero dicit Salmasius nullum esse locum, unde probari possit, unum tantum amicorum pro amico egeno rogasse, id ex supra memorato Theophrasti loco satis refelli potest. Cujus igitur verbis parumper insistamus: sunt enim haec: καὶ φίλῳ δὲ ἔρανον κελεύσαντι εἰσενεγκεῖν, εἰπὼν ὅτι οὐκ ἂν δοίη, κ. τ. λ. Illud καὶ φίλῳ intelligitur de eranarchâ, alios idcirco jubente, ut gratis in amicum quid conferrent; ita enim aptissime illud κελεύσαντι accipi potest. Quis, quaeso, angustiis coäctus amicum, quem adiret, beneficium dare juberet? Dicitur autem egenus συλλέγειν, κομίζεσθαι, vel etiam αἰτεῖν ἔρανον, ut jam vidimus. Imo κελεύσαντι magis ex effectu intelligi oportet: namque pro amico interveniente eranarchâ, non dabant amici quantum quisque vellet; sed concilio eorum habito, imperabat ille ἐρανάρχης summam, quam singuli pro facultatibus praestarent (3), nullâ in conferendo aequalitatis habitâ ratione, neque ita ut ille ἐρανάρχης, si quid deësset, de suo supplere cogeretur (4). Quae quo ma-

(1) Vid. Char. C. XV. §. 2; cf. §. 8. h. c. (2) Vid. Miscell. defens. C. 1. p. 12. (3) Hanc summam a singulis praestandam τὸ ταχθὲν vocat Salmasius in Miscell. defens. C. 1. p. 19. Conf. Dionys. Halic. p. 1264. Tom. II, ed. Reiskii, et infra §. 21. (4) In quâ nimirum opinione versatum esse Heraldum jam supra, C. II. §. 10., satis indigitasse mihi videor. Conf. Herald. Observ. et Emend. C. 43. et Observ. ad Jus Att.

gis probemus, juvat apponere locum Nepotis, de Epaminondâ haec narrantis: »amicorum in se tuendo »caruit facultatibus; fide ad alios sublevandos saepe »sic usus est, ut possit judicari omnia ei cum ami»cis fuisse communia. Nam cum aut civium suo»rum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo »amici nubilis propter paupertatem collocari non »posset, amicorum concilium habebat, et quantum »quisque daret, pro cujusque facultatibus impera»bat; eamque summam cum faceret, priusquam ac»ciperet pecuniam adducebat eum, qui quaerebat, »ad eos, qui conferebant: eique ut ipsi numerarent »faciebat, ut ille ad quem ea res perveniebat, sci»ret, quantum cuique deberet (1)."

Sic igitur obtinuit Thebis, neque aliter obtinuisse crediderim Athenis, atque in caeteris Graeciae civitatibus. Hisce Nepotis verbis perspectis, facile exinde constat Epaminondam eranarchae munus gratis suscipere solitum, nec tamen ita, ac si collegii cujusdam hoc nomine instituti se profiteretur praefectum, sed magis ut esset erani in amicum ab amicis conferendi auctor. Etenim si non aliunde, at saltem ex supra memorato Nepotis loco satis clarescit, nulla, ut jam saepius inculcavi, fuisse id genus collegia: namque disertis verbis tradit auctor Epaminondam, quotiescunque amicum reperiret, quem juvaret, amicorum concilium habuisse; quo scilicet concilio quantum quisque daret, pro cujus-

---

Att. et Rom. VI. 6. — *Ἐρανάρχης* non magis erat *πληρωτὴς*, quam caeteri, qui in amicos quid conferrent, quippe qui pro suâ quisque facultate supplendi negotium susciperent. Quare vocem *πληρῶσαι* in hoc quoque erano de quovis conferente accipi, infra §. 18. ostendere conabor. Sed vix opus erit verbis.

(1) Vid. in Vita Epaminondae C. 3.

que facultatibus, definiebatur (1). Haec igitur, quae de auxilio amicorum tradit Nepos, ad ἔρανον *ordinarium* et *privatum* referri possunt. Unde conficere licet, λύτρα quoque ad vulgarem ἔρανον, de quo dando inter amicos conveniebat, retulisse auctorem (2).

Quo magis appareat idem obtinuisse in caeteris Graeciae civitatibus et vero Athenis, operae pretium erit apponere Luciani locum, in Demosthenis Encomio, ubi C. 45. legimus: εἰ δὲ βιωτὸν ἐλεηθέντι, ταπεινὸν μέν, ἀνεκτὸς δ'οὖν ὁ ἔλεος παρὰ τοῖς οἰκείοις, ὧν ἐλυσάμην αἰχμαλώτους· ἢ τοῖς πατράσιν, ὧν συνεξέδωκα τὰς θυγατέρας· ἢ οἷς τοὺς ἐράνους συνδιελυσάμην (3). Haec igitur dixit Demosthenes, ut ostenderet se multos amicos quovis honesto modo juvisse. Quare illud ἢ οἷς —— συνδιελυσάμην non ita accipi velim, ut vox ἐράνους non ad antecedentia referatur; erat enim Demostheni in animo omnes enumerare opportunitates sibi ad amicos juvandos oblatas; adeoque ἢ οἷς significat *aut, ut verbo di-*

(1) Quemadmodum ex memorato Nepotis loco constat, ἔρανον ad filiam amici nubilem collocandam erogari solitum; sic quoque *munera collatitia*, unde ἔδνα conficiebantur, audiebant ἔρανοι. Ita enim vox occurrit apud Apollodor. II. 4. 2. » ἔρανον συνάγειν ἐπὶ τοὺς Ἱπποδαμείας τῆς Οἰνομάου γάμους." ubi γάμους non de *epulis*, sed de *muneribus sponsalibus* acceperunt Viri Docti; conf. Heynius in Comm. p. 293 et 295, et van Swinden in Observ. Miscell. novis Tom. III. p. 62. sqq. (2) Graecis λύτρον dari in summo beneficio fuisse positum, auctor est Lysias in Orat. de Vulnere praemeditato p. 174. sq., Tom. V. R, et quantae pietatis λύτρα Imperatores Christiani habuerint, videre est cum aliunde, tum inprimis ex Justiniani Inst. Lib. II. Tit. de rerum divisione cet. §. 8. et Nov. CXX. c. 9., ubi docetur ad redimendos captivos res sacras potuisse alienari. (3) Vid. Tom. III. p. 524.

cam, quoscunque eranis adjuvi (1). Quem tamen locum aliter expediunt interpretes, quasi Demosthenes amicos juvisset in solvendâ pecuniâ, quam erani nomine jam contraxissent. Quam sententiam, in qua etiam versatus est Casaubonus (2), nil habere, quo sese magnopere commendet, existimaverim. Cui, quaeso, bono foret eranum, cujus, ut jam vidimus, nulla erat reddendi obligatio, ab aliis amicis reddi? Nonne ita omnis erani notio in vulgare debitum caderet? Quocirca non video, cur Demosthenes quid tribuisset amico, quem a caeteris amicis, qui egeno ἔρανον contulissent, liberaret. Dabant enim amici amico ἔρανον, non tanquam *mutuum absolutum*, necessario statoque tempore reddendum, sed tanquam *mutuum conditionale*, quod, ut satis notum est, ex eventu demum mutui naturam induere poterat, utpote non reddendum, nisi quando egeno abundare contingeret, ut recte monet Taylorus (3), cum dicit: »eranum..... non »potuit repetere creditor ex rigido jure, et ubi ita »ei visum fuerit, verum juxta commoditatem debi»toris."

§. 15.

Vidimus igitur ἐρανάρχην in hoc erani genere fuisse amicum amico egeno gratis succurrentem.

(1) Hinc διαλύσασθαι Taylorus non immerito putat convenire cum διενεγκεῖν, quo verbo usus est Lycurgus in Orat. adv. Leocratem p. 153 (150). Tom. IV. R. — Conf. ad συνδιαλύσασθαι Wollius ad Kusterum de Verbis mediis p. 150. (2) Ad Theophr. Char. C. XV. §. 2. Neque aliter locum interpretatus est Wollius ad Kusterum, loc. laud.; cf. Reitzius, qui Jac. Duportum, ad Theophr. Char. C. I. p. 192, secutus, ultima Luciani verba reddidit: *quorum ego dissolvi debita, erani nomine, quem ab amicis collegerant, contracta.* (3) Ad Lycurgi Orat. in Leocrat., l. l.; conf. supra §. 3. h. c. in not.; Dissentit tamen Doctiss. Pan, in Diss. laud. p. 143.

Ἐρανέμπολοι contra, ut jam supra ex Hesychio et Suida ostendi, erant illi, qui ex eranis mercaturam faciebant (1). At erunt fortasse, qui mirentur, quî factum sit, ut homines egeni hanc provinciam aliis locarent: namque, ut ait Salmasius, habitus miseri supplicis, et vox querula rogantis sibi subveniri magis afficit, quam procuratoris idem pro alio petentis tralatitium officium (2). Quo magis autem in rem inquiro, eorumque, in quos erani vulgo conferebantur, miseriam cum honestate saepenumero conjunctam cogito, praesertim si inciderent miserrimi illi homines in amicum morosum et illiberalem, cujus indolem jam supra adumbratam vidimus; hinc inprimis factum crediderim, ut amici egeni, verentes, ne, amicitiae specie aliquando ducti, rogando parum proficerent, imò graviori tristitiâ afficerentur, ἔρανον colligendi provinciam aliis inde quaestum facientibus locarent. Hi igitur erani redemtores, haud secus ac ipsi egeni, quippe ἔρανον ab aliis colligentes, vocari poterant συλλογεῖς, et vero interdum ἀγυρταί (3); an illi quoque πληρωταὶ dicerentur, eo nimirum sensu, quo Heraldus ἐράνου πληρωτὰς acceperit, ac si collectam minus solidam de suo supplere tenerentur, affirmare non ausim. Neque id adeo docere videtur Salmasius cum, de erani redemtoribus loquens, dicit: »Ut ecce verbi gratia aliquis opus habet centum aureis, quos ab amicis, quia plures sunt, potest corrogare. Existit qui hanc

(1) Cf. §. 13. h. c., ubi ἐρανεμπόλους ex veteribus Grammaticis exposuimus. (2) Vid. Miscell. defens. C. 1. p. 17. (3) Conf. Pollux Lib. III. s. 129, ibique Interpretes. Add. Salmas. de Usuris C. 3. p. 43. et Miscell. defens. C. 1. p. 13. sqq. Porro ἀγυρταὶ, qui sint, late exponitur in Stephani Thes. L. Gr. — Vid. edit. Lut. Paris., cujus nuper secundus fasciculus prodiit, in v. Ἀγυρτής.

operam pro ipso velit sumere et amicos illos sollicitare ad stipem conferendam. Si plus colliget, hoc ipsius lucro cedit, centum tantum aureos, quibus indigebat cui hanc operam navavit, dat (1)." Sed quorsum haec? Nimirum eo, ut indicare voluerit Salmasius, lucrum quidem redemtores ex tali negotio posse sperare, neque adeo de damno, sive in id quod interest collectam solidam non esse factam, eos teneri: nam si cum molestissimo hoc negotio, in quo non nisi homines sordidi versari videbantur, damnum quoque fuisset conjunctum, facile fieri potuisset, ut qui hanc operam pro alio susciperent, perpauci reperirentur. Itaque, ne in verba magistri jurare videar, quippe non nisi merâ conjecturâ, ut opinor, nitentia, ingenue de his erani redemtoribus profitear, quid sentiam. Credo nimirum ἐρανεμπόλους hoc negotium ita suscepisse, ut ratione summae, quam ab aliis corrogassent, rata pars, velut ex stipulatu, iis lucro cederet. Hinc mercaturam circa ἐράνους facere dicebantur, ut ex ipsâ voce conficere licet (2). Sed quum supra jam monuerimus, quî factum sit, ut egeni ad hujusmodi homines recurrerent, alium afferam locum, unde id magis probari possit. Sic apud Lucianum Gnathonides adulator ἔρανον petenti laqueum obtulit; haec enim sunt ejus verba: *Γναθωνιδὴς ὁ κόλαξ, ὁ πρώην ἔρανον αἰτήσαντί μοι ὀρέξας τὸν βρόχον* (3).

(1) De Usuris C. 3. p. 63. (2) Emtio Venditio namque et Locatio Conductio sunt contractus, quorum summa est affinitas; unde voces hûc pertinentes saepissime promiscue usurpantur a JCtis, ut recte docuerunt Cujacius in Observ. IX. 15; D. Gothofredus ad fr. 19 et 20. D. de act. emt., et Janus a Costa ad Justinian. Inst. Lib. III. Tit. de locat. conduct. §. 3; ubi laudat Scholiasten Demosthenis Ulpianum in Orat. advers. Timocrat.; unde idem a Graecis esse observatum constat. (3) Vid. Lucian. in Timone §. 45.

§. 16.

Adsunt igitur exempla quam plurima erani, cum ad amicum aere alieno obrutum juvandum, tum ad alias res pias atque honestas dati; supersunt vero etiam alia auctorum loca, unde videre est eranos ad quasvis res licitas et necessarias collectos fuisse. Sic enim apud Demosthenem in Epistolâ ad S. P. Q. A., ubi de suâ ipsius fortunâ, deque Atheniensium erga se inclementiâ expostulat, legimus: *ἵνα οἷός τε ὦ, τά τε ὀφειλόμενα εἰσπράξας, καὶ τοὺς φίλους ἐρανίσας, τὰ πρὸς ὑμᾶς διοικῆσαι* (1).

Saepissime quoque accidebat, ut antequam quid utilitatis causa esset suscipiendum, quod non sine magnâ pecuniae summâ fieri posset, amicorum auxilium imploraretur, qui huic proposito quantum satis esset de suo largirentur: ita enim obtinuisse colligi potest ex Diogenis Laërtii verbis: *καὶ πρὸς τῶν φίλων ἐρανισθέντα εἰς Αἴγυπτον ἀπᾶραι* (2). Videtur enim longinquum hujusmodi iter saepissime in multorum hominum verti potuisse utilitatem. Quare homines ditiores nil antiquius habuisse existimaverim, quam ut hujus rei causa pecuniam amico, cui facultates itineri non essent idoneae, suppeditarent, quae prospere redeunte nave iis redderetur. Quod apud Graecos praesertim in caritate annonae factum accepimus. Hinc jactatores magnopere solebant gloriari se gratiâ apud amicos civesque plurimum valere, et vero optime de iis esse meritos; uti ille Alazon apud Theophrastum, qui, ut ratio dicti sibi constaret, calculos insuper poni summam—

(1) Epist. III^{a}, p. 1484. Tom. II. R., ubi *διοικῆσαι* ex recensione Wolfii lego pro *διοικήσω*, ut invenitur in edit. Reiskii.
(2) In Eudoxo, Lib. VIII. Segm. 87; Budaeus pro *ἐρανισθέντα* legit *ἐρανίσαντα*. Sed dubito an recte. Cf. Stephan. Thes. L. Gr. in v.

que subduci jussit: id quod potissimum, ut erat jactatorum mos, coram ignotis fiebat, quo melius in vulgus audirent. Haec enim sunt Theophrasti verba: *καὶ ἀγνώστων δὲ παρακαθημένων, κελεῦσαι θεῖναι τὰς ψήφους, καὶ ποσοῦν αὐτὰς, καθ' ἑξακοσίους, κατὰ μνᾶν*, (1) *καὶ προστιθεὶς πιθανῶς ἑκάστοις τούτων ὀνόματα καὶ ποιῆσαι δέκα τάλαντα· καὶ τοῦτο φῆσαι εἰσενηνοχέναι εἰς ἐράνους αὐτόν*. (2).

Sic etiam Antiphon Orator narrat de quodam pecuniam in honestos usus erogante, opulento caeteroquin homine: *πολλὰς μέν*, inquit, *καὶ μεγάλας εἰσφορὰς εἰσφέροντα, πολλὰ δὲ τριηραρχοῦντα, λαμπρῶς δὲ χορηγοῦντα, πολλοὺς δὲ ἐρανίζοντα, μεγάλας δὲ ὑπὲρ πολλῶν ἐγγύας ἀποτίνοντα* (3). An vero illi erani, a jactatoribus adeo frequentes erogati, commode reddi potuerint, non habeo quod dicam. Sed quid refert? Dixisse enim sufficiat, eranos tum demum reddi oportere, cum id commode ab iis, qui accepissent, fieri posset.

§. 17.

De tempore igitur erani reddendi quum magna sit, eaque, ut vidimus, Virorum Doctissimorum dissensio; Salmasio tamen quin assentiar, nullus dubito.

---

(1) Sic ex Salmasii (de Usur. C. 3. p. 63.) conjecturâ legendum pro *κατὰ μίαν*. Cf. Astii Comm. ad Theophr. Char. p. 207. (2) Vid. Char. C. XXIII. *Περὶ ἀλαζονείας*, ibique omnino Astii Comm. l. l. (3) Orat. III. sive Apolog. p. 638. Tom. VII. R., ubi, Heraldi et Salmasii vestigiis insistens, pro *πολλοὺς* legendum censeo *πολλοῖς*. Vid. Herald. Observ. et Emend. C. 44, Salmas. Miscell. defens. C. 2. p. 58. Idem vero in libro de Usuris C. 3. p. 43. Antiphontis locum, tanquam non suspectum attigerat, uti fecit Wollius ad Kusterum de Verbis mediis p. 150. — Reiskius ejusdem illius emendationis meminit. Vid. ejus Annot. ad Antiph. l. l. p. 639, non immerito illi quidem, Reiskium et Heraldum dico, dubitantes, an *ἐρανίζειν* sensu *conferendi* cum casu quarto construi possit. Conf. supra §. 8. h. c.

Cujus igitur sententiam, quam supra jam tueri conatus sum, ex Isocratis quodam loco, unde Heraldus contrariam sententiam elicuit, quoad potero, probare lubet: haec enim sunt Isocratis verba: ὀφείλετε δὲ μόνοις τῶν Ἑλλήνων τοῦτον τὸν ἔρανον, ἀναστάτοις ἡμῖν γεγενημένοις ἐπαμῦναι (1). Sed antequam exinde id, quod volumus, conficiamus, operae pretium erit monuisse, sive ejus, quod jam attigimus, meminisse, ἔρανον nimirum Graecorum varias habere metaphoricas significationes, ab erano tralatitio, quo par pari in vitâ referatur, desumtas. Hinc non tantum id, quod amicus in amicum conferebat, vocabatur ἔρανος, verum etiam id quod alteri, qui in nos beneficium contulisset, debemus. Quare Isocratis verba ita sunt accipienda: *Sicuti erani collati aliquando sunt reddendi et tum demum debentur, cum is qui sublevatus esset vires recuperasset vel fortunam restituisset; quid ita nobis hoc tempore, sede expulsis, auxilium ferre quum possitis, vestram operam recusetis?* Videtur igitur ibi eranus non fuisse redditus, antequam indigebant illi, qui accepissent: attamen exinde non est, quod colligamus, semper fuisse exspectandum donec benefactores beneficium vicissim ab aliis flagitare necesse haberent; neque eo magis hinc apparet quamcunque demum pecuniam erani nomine collatam reddi oportere, simul ac illi qui contulissent indi-

(1) Vid. Orat. Plataica C. 23; cf. de simili erano Isocrat. in Helen. Encom. his verbis: νομίζων ὀφείλειν τοῦτον τὸν ἔρανον ἀνθ' ὧν ἐκεῖνος αὐτῷ συνεκινδύνευσε. Sic Dion. Halic., in Arte Rhetorica, C. VI. p. 266. Tom. V., edit. Reiskii: ὅτι τὸν αὐτὸν ἔρανον καὶ τούτῳ ἀποδοτέον; ad quem locum animadvertit Heraldus, officium ibi significari, quod longe absit a mutuo, utpote re exigente rependendum. Vid. Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 1; add. Stephan. Thes. L. Gr. in v. Ἀντεραν ίζω.

gere incipiant. Haec enim doctrina non inest in supra allato Isocratis loco, quam tamen inde elici voluit Heraldus. Namque Lacedaemonii contra Thebanos auxilium Atheniensium implorantes, atque summopere illud beneficium flagitantes, commonefaciebant eos simul auxilii, quod belli Persici tempore, quum omnes omnino extra Peloponnesum sedem habentes ab iis desciverant, iis praestitissent; adeoque, si unquam beneficii reddendi esset opportunitas, tum praesertim Athenienses censeri poterant hoc beneficium debere Lacedaemoniis, quibus gratiam referri par erat pro beneficio jam ante collato; addiderunt enim Lacedaemonii *ὥστε δικαίως ἂν τὴν αὐτὴν εὐεργεσίαν ἀπολάβοιμεν, ἥπερ αὐτοὶ τυγχάνομεν εἰς ὑμᾶς ὑπάρξαντες* (1).

Utut igitur sese habeat Heraldi sententia, sive eo valuerit, ut indicaret *ἔρανον* esse reddendum simul ac quis vicissim indigeat, sive tum demum, cum quis fortunâ restitutâ benefactores vicissim laborantes habeat, nullâ ratione exspectandum crediderim, donec ad incitas sint redacti benefactores. Quare nullus dubito, quin ex memorato Isocratis loco nostra potissimum sit eruenda sententia, nimirum *ἔρανον* esse beneficium reddendum, si possint ii, in quos collatum sit. Hinc gratia, quae refertur, translatâ quoque significatione, dicitur *ἔρανος*, ad quam scilicet referendam nemo judicio poterat cogi, quemadmodum ad eranos reddendos nullo pacto cogi poterant Athenienses (2). Si quis igitur non haberet,

(1) Isocrat. l. l.; conf. Demosthen. in Neaeram p. 1348. Tom. II. R., ubi legimus: *τὸν αὐτὸν ἔρανον ἀποδοῦναι.* Sic *ἔρανος* ex effectu dicitur *ἀνταπόδοσις.* Vid. Hesych. in v. *Ἐρανῆς;* add. quae modo ad eum, qui praecedit, Isocratis locum annotavi. (2) Cf. Herald. Observ. et Emend. C. 44, cujus C. 43. alia fuerat sententia; add. ejus Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 1.

quod reapse redderet, gratus animus erat optimus ἔρανος, teste Demosthene dicente: καλὸς οὖν ἔρανος χάρις δικαία, ἣν καὶ σὺ ποιήσαι πρὸς ἐμέ (1).

Iis, quae de erano oblatâ occasione reddendo diximus, fidem faciunt Demosthenis verba in Midiana: οὐδεὶς γὰρ ἐστὶ δίκαιος τυγχάνειν ἐλέου, τῶν μηδένα ἐλεοῦντων, οὐδὲ συγγνώμης, τῶν ἀσυγγνωμόνων· ἐγὼ γὰρ οἶομαι πάντας ἀνθρώπους φέρειν (ἀξιοῦν) παρ' αὐτῶν εἰς τὸν βίον αὐτοῖς ἔρανον παρὰ πάντα ὅσα πράττουσιν, ... ἅπασι προσήκει τῷ τοιούτῳ ταὐτὰ εἰσφέρειν, ἐάν που καιρὸς, ἡ χρεία παραστῇ ..... σὺ δὴ πληρωτὴς τοιούτου γεγονὼς ἐράνου, σεαυτῷ τοῦτονὶ δίκαιος εἶ συλλέξασθαι (2). Quibus respondent haec ejusdem Orationis verba: ἐγὼ νομίζω πάντας ἀνθρώπους ἐράνους φέρειν παρὰ πάντα τὸν βίον αὐτοῖς, οὐχὶ τοὺς δε μόνον, οὓς συλλέγουσί τινες, καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται, ἀλλὰ καὶ ἄλλους ..... Μειδίαν τοῦ ἐράνου, οὐκ ἐκείνου. (3).

Quandoquidem ἔρανοι ita instituuntur, ut par pari in vita referatur, recte docet Orator, neminem in alium eranum conferre, qui non suae ipsius saluti

(1) Epist. V^a ad S. P. Q. A. p. 1491. Tom. II. R. Namque omnis ἔρανος confertur quodammodo εἰς χάριν, ut vult Dion. Halic. in Arte Rhetorica Cap. II. p. 236. Tom. V. R. καὶ τοῦτον ἄν τις εἴποι δικαίως ἔρανον κάλλιστον οὐ χρημάτων, οὐδὲ κτημάτων τινῶν, κ.τ.λ. Sic apud Platonem in Symposio, p. 177. C. ἔρανον εἰσενεγκεῖν et χαρίσασθαι conjunguntur, ubi, de Phaedro dicit Eryximachus: ἐγὼ οὖν ἐπιθυμῶ ἅμα μὲν τούτῳ ἔρανον εἰσενεγκεῖν καὶ χαρίσασθαι. Cf. supra C. I. §. 10, in not. (2) P. 547, Tom. I. R.; cf. Wolfius in Apparatu Crit. ad Demosthenem p. 607. Vol. I. R. (3) P. 574. Tom. I. R.; conf. Taylorus in Apparat. Crit. in Demosthen. p. 608. Vol. I. R. et h. c. §. seq. Sic Lycurgus in Orat. in Leocrat.: καὶ ἱκετεύσει ἐλεῆσαι αὐτὸν; τίνων; οὐχ οἷς τὸν αὐτὸν ἔρανον εἰς τὴν σωτηρίαν οὐκ εἰσενεγκεῖν οὐκ ἐτόλμησεν; vid. p. 237 (168). Tom. IV. R., ubi cum Tayloro τὸν αὐτὸν ἔρανον pro τῶν αὐτῶν ἐράνων legendum censuerim.

prospiciat, atque adeo tanquam sibi conferat, ita quidem, ut praeclara parentum facta velut jure hereditario in liberos redundent. Quare Aristides in Panathenaïca (1) de Herculis liberis narrat: *καὶ τὴν προστασίαν, ἣν ἁπάντων ἀνθρώπων Ἡρακλῆς ἔσχε, ταύτην αὐτὸς τοῖς ἑαυτοῦ παισὶν, ὥσπερ τινὰ ἔρανον φορὰν διεσώσατο* (2). Hoc enim beneficium Atheniensis contulerant in Herculis liberos, ut, postquam Eurystheus eos e Peloponneso expulisset, gravissima quaeque interminatus iis, qui eos reciperent, soli Athenienses miseratione capti eos in suam fidem recipere ausi essent. Neque id temere fecerunt Athenienses, verum ut gratum erga Herculem, quippe qui omnium hominum fuisset patronus (3), ostenderent animum. Hinc igitur, si non aliunde, constat, beneficia accepta saepissime ab iis, in quos collata essent, negligi, et vero etiam neminem ad beneficium referendum cogi potuisse.

§. 18.

Sic etiam conferre *ἔρανον* dicebantur illi, qui quovis modo alteri auxilium praestarent, sive re sive verbis aliorum miseriae succurrerent. Miseri enim satis plerumque se infortunii perpeti profitentur, si ab amicis, quibuscum iis, in lautâ re dum versarentur, arctissimum intercesserat amicitiae vinculum,

(1) P. 109, Tom. I. edit. Jebb. (2) Ille Aristidis locus facile cum *ἐράνους*, ubi pensio menstrua requiritur, confundi potest, propter verba *ἐράνου φορὰν*: quae tamen non obstant, quominus locus ad *ἔρανον* amicorum referatur; nam similitudo, cujus rei causa vocem *φορὰν* positam invenimus, consistit in eo, quod pro viribus quisque, velut qui integram pensionem in arcam inferunt, beneficium in se collatum rependat. (3) *Προστασία* enim significat *patrocinium*, non vero *imperium*, ut facile quis suspicetur. Vid. Herald. L. II. c. 5. de Rerum Judicatarum auctoritate, in Thesauro Juris Everardi Ottonis, Tom. II. p. 1175. sqq.

mutatâ fortunâ se relictos vident. Misericordiam vero, si quam experirentur, tanquam in rebus adversis solatium, in summis beneficiis habebant illi, quos adversa premeret fortuna; uti videre est ex Dionysii Halicarnassei quodam loco, ubi legimus: ἔλεόν τε κοινῶν κακῶν οὐ μικρὸν ἔρανον εἶναι νομίζοντες, ὡς καὶ αὐτοί ποτε τοῦ παρ' ἑτέρων δεηθέντες (1). Quum jam viderimus ἔρανον dici de beneficio in alterum, sive ob beneficium acceptum, sive spe simile beneficium accipiendi, collato, exquisitissimas apud Graecos auctores invenimus inde sumtas significationes, quas omnes enumerare longum sit. Sic enim vox ἔρανος occurrit pro quovis *beneficio*, quod in amicos confertur; porro pro *grati animi munere*, *officio*, cet. (2). Unde facile apparet omnes vitae humanae actiones bene institui, si ad erani instar exigantur; cui rei fidem faciunt Demosthenis Midianae, quae modo attuli, loca (3): quorum postremum iterum sed integrum exscribere lubet: ἐγὼ νομίζω πάντας ἀνθρώπους ἔρανον φέρειν (4) παρὰ πάντα τὸν βίον αὑτοῖς, οὐχὶ τοὺς δε μόνους, οὓς συλλέγουσί τινες, καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται, ἀλλὰ καὶ ἄλλους. οἷον· ἐστί τις μέτριος καὶ φιλανθρώπος ἡμῶν, καὶ ἐλεῶν πολλούς; τοιῷτῳ ταὐτὸ δίκαιον ὑπάρχειν εἰκὸς παρὰ πάντων, ἄν ποτ' εἰς χρείαν καὶ ἀγῶνα ἀφίκηται. ἄλλος οὑτοσί τις ἀναιδὴς, καὶ πολλοὺς ὑβρίζων, καὶ

(1) Vid. p. 310. Tom. I. R. (2) Praeter loca passim laudata, pulcherrime huc faciunt Xenophontis loca in Cyrop. VII. 1. §. 12 et 43. Conf. Thucyd. II. 43. (3) Vid. p. 547 et 574. Tom. I. R. conf. §. 17. h. c. (4) Salmas. in Miscell. defens. C. 2. p. 39. sqq. dicit ἔρανον φέρειν male reddidisse Heraldum *collectam facere*, cum sit *collationem facere* vel *conferre;* atque ita recte. Sed Herald. in Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 5. causam defendens, affirmat se dixisse *quasi collectam sibi ipsis facere.* Id quod revera ita se habet et loca allata satis arguere videntur. Conf. §. 17. h. c.

τοὺς μὲν καθάρματα, τοὺς δὲ πτωχούς, τοὺς δ'οὐδὲν ὑπολαμβάνων εἶναι; τούτῳ τὰς αὐτὰς δίκαιον ὑπάρχειν φοράς, ὥσπερ αὐτὸς εἰσενήνοχε τοῖς ἄλλοις. ἂν τοίνυν ὑμῖν ὀρθῶς ἐπίῃ σκοπεῖν, τούτου πληρωτὴν εὑρήσετε Μειδίαν ὄντα τοῦ ἐράνου, οὐκ ἐκείνου. — Ad quem Oratoris locum non est, quod multa, utpote ex ante dictis jam luce clariora, dicamus; pauca tamen animadvertenda supersunt. Vidimus enim ibi mentionem factam ἐράνου πληρωτῶν; quae vox quum proprie ad eranistarum Collegium pertineat, deque iis qui solidam menstruam in arcam inferant pensionem accipiatur; sic in nostro quoque erano, si rem ad vivum resecare velimus, ea facile de iis, qui certam, de qua concilio habito inter amicos convenisset, pecuniae summam conferunt, accipi potest. Enimvero aliter vocem acceperunt non pauci iique eruditi interpretes, quasi esset intelligenda de iis, qui eranarchae munere fungentes id, quod summae, quam a caeteris collegissent, deësset, complerent. Quae quidem opinio tenuit quoque Wolfium (1), ad Demosthenis verba ὥσπερ ἄν εἰ ἐκάθησθε ἐράνου πληρωταὶ (2) notantem: »πληρωταὶ hîc dicuntur (*contra quam nominis significatio ferre videtur: πληρόω enim est* compleo, *et πληρωτὴς is*, qui complet) *non qui conferunt stipem, sed qui collectam ab aliis colligunt, quasi* ἀποδέχται, ἢ εἰσπράκτορες τῶν ἐράνων." — Sed vereor, ne Heraldus (3) Wolfium in errorem induxerit; quare addidisse eum crediderim *contra quam nominis significatio ferre videtur.* Plura ad hanc meam sententiam in medium proferre non est hujus loci, quum de eranarcha

(1) In Reiskii Apparatu Crit. ad Demosth. Vol. I. p. 816. (2) Vid. Orat. *A.* in Aristogit. p. 776. Tom. I. R. (3) In Observ. et Emend. C. 43 et 44. et Observ. ad Jus Att. et Rom. VI. 5 et 6.

deque ejus in utroque erani genere officiis jam actum sit.

Etiamsi igitur πληρωτὴς proprie accipitur de eo, qui definitam pensionem confert, loquendi tamen scribendique usu invaluit, ut πληρῶσαι et εἰσφέρειν promiscue apud auctores occurrant, idemque prorsus significent, nisi diserte appareat, amicum egenum alios oblatâ occasione rogasse. Quo casu dicuntur egeni συλλέγειν, eranarcha vero hoc negotium suscipiens haud secus ac omnes, qui definitam summam (τὸ ταχθὲν) conferunt, recte vocatur πληρωτής. Hinc in laudato Demosthenis loco verba οὓς συλλέγουσί τινες καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται aptissime conjunguntur.

Quo tandem modo Heraldus Salmasii verba ubique torserit, hoc vero facile ei assentior, neminem collationem (ad ἔρανον nimirum exactam) facere in alterum, qui non simul conferat sibi (1); ut Demosthenei loci sensus huc redeat: *Ego vero arbitror omnes homines in vita sibi ipsos velut eranos collocare, non tantum hujusmodi, quos colligunt nonnulli, verum etiam eos, quos homines simul, prout convenerit, conferunt.* — Eadem fere erat Salmasii sententia vertentis: *Ego vero existimo, omnes homines eranos sibi ipsis toto vitae curriculo conferre, non istos solos, quos aliqui colligunt, et quorum collationem implent alii, sed et alios* (2). At vero quaenam fuerit causa, cur Salmasius Demosthenis locum emendans, pro καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται legerit καὶ ὧν πληρωταὶ τίνες γίγνονται, me non satis intelligere fateor. Hanc quoque emendationem merito suspectam habuit Heraldus.

(1) Conf. Herald. Observat. ad Jus Att. et Rom. loc. laud.
(2) Vid. Miscell. defens. C. 2. p. 40. sq.

Haec de Virorum Doctorum gravissimâ in re discrepantiâ dicta sufficiant. Omnia enim, quae ab iis in medium prolata sunt, persequi, longum sit, et a consilio, quod mihi proposui, ut erani qui sint, quique eorum varius usus fuerit, exponerem, alienum. Si quis igitur eorum sententias velut κατὰ πόδα persequi velit, adeat ille saepius laudata Salmasii et Heraldi opera; ego vero meam ire viam plerumque satius duxi.

§. 19.

Ab illo igitur erano tralatitio omnia fere, quae sive honoris causa, sive ob bene merita, ut jam vidimus, darentur aut erogarentur, ἐράνους Graeci vocabant. Hinc factum est, ut ad similitudinem metaphoricae illius, quam voci tribuebant, significationis, verbum ἐρανίζειν translatâ quoque significatione Graeci usurparent.

Vidimus jam supra eum, qui ἔρανον εἰσφέρει, dici ἐρανίζειν τινί, illum vero qui ἔρανον συλλέγει, ἐρανίζειν τινά (1); ἐρανίζεσθαι denique semper *colligendi* sensu usurpari, praesertim ubi verbum absolute positum occurrat (2). Attamen verbum ἐρανίζειν metaphorice plerumque non nisi *colligendi* sensu usurpatur. Lubet rem illustrare exemplis, quo magis appareat voces ἔρανος et ἐρανίζειν non tantum pro *beneficio* vel *grati animi ob beneficium acceptum indicio*, verum etiam pro quovis *lucro honesto* posuisse auctores. Sic v. gr. Gregorius Nazianzenus praebet exemplum vocis, pro *beneficio* et *mutuo auxilio* sumtae, his verbis: καὶ προσεισενεκτέον ἀνθρώπους ὄντας ἀνθρώποις τὸν ἔρανον τῆς χρηστό-

(1) Conf. §. 8. h. c. ibique in not. (2) Ἐρανίζεσθαι significare *accipere* (ἔρανον) docet vetus auctor apud Suidam in v. Γάϊος.

τητος (1). Est enim hominis homini consiliis et factis auxilium praestare.

Quum igitur ἐρανίζεσθαι interdum *lucrum honestum captare* significet, sic Sophistae παρὰ τῶν μαθητῶν φόρους ἐρανίζεσθαι dicebantur (2). Quod quidem per se honestati minime repugnare facile colligere licet ex voce φόρους: sunt enim φόροι *vectigalia*, sive omnia hujusmodi tributa, quae cives ob commoda, quae ex re quadam percipiunt, pendere solent; hinc interdum *praemia* dicuntur. Ac veluti cives patriae ἔρανον debent, ita quoque discipuli magistris conferant necesse est. Sed quum Sophistae plerumque ejusmodi essent homines, qui quovis modo doctrinae ostentatione rem quaererent, Athenaeus de paupere narrat nullam ob rem, credo, auditiones instituente, nisi ut egestati, quâ premeretur, quoad posset, occurreret: Ἀθηνίων, inquit, ὁ πένης καὶ τὰς ἐρανικὰς ποιησάμενος ἀκροάσεις (3).

Porro ἐρανίζεσθαι saepissime significat *undique colligere*, sive *corrogare*, *undique emendicare*. Sic Lucianus; Πανταχόθεν ἐρανίζεσθαι τὴν ἡδονήν (4).

---

(1) Orat. Περὶ τῆς φιλοπτωχίας, Cap. 6. Sic in Libro, cui titulus est Epigrammata Graeca, 3. Γήραϊ καὶ πενίῃ τετρύμενος οὐδ' ὀρέγοντος Οὐδενὸς ἀνθρώπου δυστυχίης ἔρανον.

(2) Vid. Pollux L. IV. s. 43. ubi habet: φόρους ἐρανίζεσθαι, συνερανίζειν, ἀθροίζειν, συλλέγειν. Conf. Kuhnius ad h. l. n°. 92. Sic quoque ii, qui Orationes praelegentes quaestum faciebant, ἐρανίζεσθαι dicebantur uti apud Diogen. Laërt. in Protagorâ L. IX. segm. 50. Οὗτος καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος λόγους ἀναγινώσκοντες ἠράνιζοντο, ubi vid. Aeg. Menag. p. 419.

(3) Athenaeus Lib. V. p. 212. C., cf. idem L. VIII. p. 350. B. de Stratonico Citharoedo: ὅπου τὸ ἀθάπανον οὐ ποιεῖτε, πῶς ἐγὼ ἐλπίζω παρ' ὑμῶν ἔρανον λήψεσθαι; haec dixit de Rhodiis, qui ne plausu quidem in theatro prosecuti sunt Stratonicum (4) P. 552. Tom. I.; cf. Themist. de Animâ. 3. καὶ τὸ ἓν δὲ καὶ τὰ δύο καὶ τὸν ἀριθμὸν ἐκ τῶν αἰσθητῶν ὁ νοῦς ἐρανίζεται: l. ἃς καὶ αὐτὰς ἀπὸ τῶν στοιχείων ἐρανίζεται.

Eadem significatione occurrunt cum activum ἐρανίζω, ut jam notum est, tum ejus compositum συνερανίζω; cujus rei exemplum suppeditat Gregorius Nazianzenus, loco quodam, ubi de auctoritatibus prophetarum quibus utitur, haec scribit: ὅπως ἂν ἕκαστον ἐπίῃ τῇ μνήμῃ τῶν συμπληρούντων μοι τὴν ᾠδήν, καὶ συνερανιζόντων τὸν χαριστήριον λόγον (1). Neque alio modo mihi videtur ipse Gregorii locus intelligendus, nisi de iis, qui quovis modo captarent, ut pulchra eorum facta oratione, quâ simul publice gratias inirent, commemorarentur. At vero Stephanus perhibet huic loco illam significationem non esse dandam; quam tamen Budaeus, cui facile assensum praebeo, ei tribuerat (2).

Ad verbum συνερανίζειν animadvertere liceat, illud cum casu dandi constructum, haud secus ac de simplici ἐρανίζειν vidimus, non significare *colligere*, sed *conferre*, *contribuere:* uti apud Diogenem Laërtium in Arcesilâ, ubi de ejus liberalitate sermo est: Συχνοῖς τε ἐπήρκει καὶ συνηράνιζε (3). Quem locum quare ad convivia de symbolis inita referant nonnulli interpretes, non video: error facile contractus est ex praep. σὺν cum dativo πολλοῖς, ac si dixisset auctor σὺν συχνοῖς ἠράνιζε; etenim συνηράνιζε cum συχνοῖς haud aliter ac cum simplici ἐρανίζειν construitur, ut praep. σὺν significationem augeat. Hinc recte Budaeus, teste Stephano, vertit *pecuniam necessariam conficiebat* (4). Loci sensus igitur huc redit: *multis auxilio ita praesto*

(1) Sic Isocrates in Philippum: ὅπως ἂν συνερανίσαιμι τοὺς λόγους πάντας. Cf. Aristotel. de gener. Anim. III. 1. κἂν πολλὰ συνεφανίσας τις ὠὰ εἰς κύστιν, ἤ τι τοιοῦτον, ἕψῃ πυρί. (2) Conf. Stephan. Thes. L. Gr. v. Συνερανίζω. edit. Angl. (3) Lib. IV. Segm. 38. ibique Aeg. Menag. p. 178. (4) Vid. Stephan. Thes. L. Gr. loc. laud.

erat, ut in eos simul operam, quam ab aliis impetrasset, conferret: veluti eranarcha, qui collatâ ab amicis pecuniâ amico cuidam auxilium ferre solebat. Eodem redit, quod Budaeus ex Appiano affert: *τὰς χρείας ἀλλήλοις συνηράνιζον.* »Inter se ita conjuncti »erânt, ut quod uni opus esset, alii ad id perficien»dum operas darent, et conficerent (1)." Quid enim illud aliud est, nisi *mutuam operam praestare?*

Quemadmodum *ἐρανίζεσθαι* mediâ formâ occurrit, sic *συνερανίζεσθαι* passivâ formâ accipitur, ut sit *congeri, colligi.* Ita enim Plato, aut quisquis est auctor dialogi, qui Axiochus inscribitur: *Ὡς ἂν συνηρανίσμενον ἐκ συγκλυδος ὄχλου* (2). Sic pro *conferri* occurrit apud Philonem, de Mundo §. 9: *πάντων εἰς τὴν συμπλήρωσιν αὐτοῦ (τοῦ κόσμου) συνερανισθέντων.* Quae Stephanus vertit: »Cum omnia ad complementum ejus col»lata fuerint." Budaeus vero verbo neutro usus: »cum omnia ad complementum ejus in unum coï»erint (3)." Sed quonam verbo locum latine reddas, neutrone an passivo, haud multum interest; praeferam tamen, ut Philonis locus sanus sit, verbum passivum.

Ad structuram verbi *ἐρανίζειν* quod attinet, videtur illud verbum sensu *colligendi*, haud secus ac caetera verba *rogandi*, duplicem admittere accusati-

(1) Conf. Stephan. l. l. (2) P. 369. *B.*; Cf. Dionys. Halic. de Isocrate p. 541, Tom. V. R., *τοσοῦτον δ'αὐτοῦ (Λυσίου) λείπεται κατὰ ταύτην τὴν ἀρετὴν, ὅσον τῶν φύσει καλῶν σωμάτων τὰ συνερανιζόμενα κόσμοις ἐπιθέτοις* »congesta, adornata, composita, quasique coägmentata." Haec est Budaei sententia, quae parum placuit Stephano (in Thes. l. l.) vertenti: »corpora in quae erogati fuerunt ornatus ascititii, vel corpora corrogatis ornatibus et emendicatis praedita." Cujus sententiae facile me addico: nam *κόσμοις ἐπιθέτοις* est dativus instrumenti, cum praep. *σὺν* non cohaerens. (3) Conf. Stephan. Thes. L. Gr. l. l.

vum. Sin autem nullo personae adjecto casu non satis liquide constet, utrum *ἐρανίζειν colligere*, an *conferre* significet, vocis significatio facile elici poterit ex orationis nexu, ut in hoc Aeschinis loco: *ὅταν οὖν . . . . . τοῖς δ' ὑπὸ τῶν δημοτῶν στεφανουμένοις καὶ φυλετῶν ἀπείπῃ μὴ κηρύττεσθαι τοῖς τραγῳδοῖς, ἵνα μηδεὶς ἐρανίζων στεφανοὺς καὶ κηρύγματα, ψευδῆ φιλοτιμίαν κτᾶται, τί τὸ καταλειπόμενόν ἐστι* (1). Quem Aeschinis locum interpretari non est consilium; vocis *ἐρανίζειν* significationem indicasse sufficiat, ex quo intelligi possit fuisse auctori propositum de honoribus, quo studio certent homines, dicere, ut praemia quasi collecta credideris.

§. 20.

Antequam huic de Eranis disputationi finem imponam, reliquum est paucis monere, quam late vox *ἔρανος*, tanquam beneficium aliquando reddendum pateat. Quocirca juvat proferre exemplum eraní, non adeo benefactoris posteris, ut Herculis liberis factum vidimus, reddendi, verum in alios, ejusdem benefactoris beneficium itidem implorantes, conferendi; cujus rei documentum praebet Isocrates, cum dicit; *ἡγοῦμαι γὰρ τοῖς μὲν ἀναξιῶς δυστυχοῦσιν, ἐκ δὲ φιλοσοφίας χρηματίζεσθαι ζητοῦσιν, ἅπαντας τοὺς πλείω πεπραγματευμένους, καὶ μᾶλλον ἀπηκριβωμένους προσήκειν ἐθελοντὰς τοῦτον εἰσφέρειν τὸν ἔρανον* (2). Neque exinde adeo conficitur *ἔρανον* statim, ubi benefactores vicissim indigere incipiant, esse redden-

(1) In Ctesiphontem p. 434. sqq. (60) Tom. III. R. *καὶ κηρύγματα, ψευδῆ φιλοτιμίαν κτᾶται.* Sic legit Wolfius, probante Tayloro; Reiskius vero perinde esse putat, utrum hanc lectionem tueamur, an legamus *καὶ κηρύγματα ψευδῆ, φιλοτιμίαν κτᾶται*, ut scilicet *ψευδῆ* ad *κηρύγματα* pertineat: equidem praeferam Taylori et Wolfii lectionem. (2) Vid. Busiris, C. 1.

dum; sed magis si possint illi, in quos quid erani nomine collatum sit: docet enim Isocrates, eos, qui magnum quaestum fecissent doctrinarumque peritiores evasissent, extemplo alios habere, quibus eandem operam dent, cum rerum humanarum vicissitudines ita ferant. Vult igitur Orator ἔρανον non semper *directe* ipsis reddi posse benefactoribus; sed si beneficii natura id requirat nonnunquam *indirecte;* ita ut utilitas, quam quis ex civitate, ubi degat, percepisset, si non ipsi civitati possit rependi, at saltem civibus oblatâ occasione praestetur. Hanc civitatis salutem qui juvat erudiendis hominibus, reddit beneficium, quod ipse, quum literis imbueretur, a civitate accepisset. Huc enim Isocratis locus redire mihi videtur.

§. 21.

Haec omnia de erano, quem quocunque modo reddi aequitas jubet, dicta sufficiant. Ita quidem obtinebat apud Athenienses; alia vero Romanorum erat ratio; praesertim si pecuniam respicias erogatam in eos, qui amicorum auxilio quovis modo indigeant. Illi enim ἔρανον Graecorum *aes collatitium* dixerunt, quod apud eos cum alias usu venit, tum maxime illud erat, quod amici amicis, quibus aliquid accidisset infortunii, conferebant, sive ad aedes, quae vetustate corruissent, aut incendio essent consumtae, reparandas vel exstruendas, sive ad quodvis aliud (1).

Quae vero erani collatio, nunquam, si Salmasio fidem tribuamus (2), repetenda, an utilitate cum Graecorum conferendi more sit comparanda, non habeo quod dicam. Videtur tamen in Romanorum ad erani instar Graecorum conferendi ratione aliquid esse periculi, ne homines nimirum suarum rerum

(1) V. Salmas. de Usuris C. 3. p. 39. (2) Salm. l. l. p. 42.

non satagentes ad ἐράνους temere confugiant, ita ut rebus lapsis plus lucrentur, quam iis aequo jure competeret; uti Tongilianus apud Martialem (1):

> Emta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
> Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
> Collatum est decies: rogo non potes ipse videri
> Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

Merito videbantur illi qui vili pretio aliquid emissent, suspecti, ac si ruinam antequam imminere coeperit, properassent. Sic eleganter Juvenalis (2):

> Si magna Asturii cecidit domus: horrida mater,
> Pullati proceres, differt vadimonia Praetor.
> Tunc geminus casus Urbis, tunc odimus ignem.
> Ardet adhuc, et jam occurrit, qui marmora donet,
> Conferat impensas. Hic nuda et candida signa,
> Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti,
> Haec Asianorum vetera ornamenta Deorum,
> Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam,
> Hic modium argenti. Meliora ac plura reponit
> Persicus, orborum lautissimus, et merito jam
> Suspectus, tanquam ipse suas incenderit aedes.

Etsi hujusmodi collatio, quâ utebantur Romani, absque ullo fiebat repetendi consilio, ita ut saepissime in malum verti potuisset, non tamen propterea illud consilium erat spernendum. — Quid enim est hominibus datum melius, quam interna illa securitas, quâ sciunt se in re adversâ amicorum posse fidere auxilio? — Sed fieri vix potest, ut illi qui amicorum operâ hoc modo sublevati sint, id quod accepissent commode reddant, quandoquidem collatio non adeo pecuniae quâdem summâ, sed va-

(1) L. III. Epigr. 51. (2) L. I. Sat. 3. vs. 212—222.

riis rebus in specie collatis constat; est igitur illa *collatio* similis συμβολῇ convivatorum (1).

Praeterea ad ἐράνους referri possunt collata, quae a populo fiebant, ut funus duceretur eorum, qui de republica bene fuissent meriti, quando unicuique e populo imperabatur quantum a singulis esset praestandum; quod quam fuerit exiguum dicere vix attinet, quum ne pauperibus quidem, quod conferrent, deëesset. — *Quadrantes* v. gr. a singulis exactos accepimus. — Erat illa collatio nil aliud nisi ἔρανος Graecorum; in eo tamen a Graecorum conferendi more diversus, quod nunquam reddi oporteret, et vero summa similitudo ipsi erat cum ἐράνῳ in eo, quod esset actus merae liberalitatis; at vero hac in re non nisi sordidi homines officio deërant. Quae cum ita sese habeant, nemo erit, credo, qui facile affirmaverit hanc collationem ad *publica tributa* pertinere; videbatur enim illud magis honoris quam publicae necessitatis gratia factum, ut populus ostenderet, quo esset animo erga viros, quorum auctoritate respublica liberata esset, affectus. Quare Dionysius hanc collationem vocat κατ' ἄνδρα ἐρανισμόν, quam stante republica in honorem Menenii Agrippae factam esse docet: παρήνεσαν δὲ τῷ δήμῳ τὴν δαπάνην ἀναδέξασθαι, καὶ συνενεγκεῖν καθ' ὅσον ἂν αὐτοὶ τάξωσιν, ... φερόντος ἑκάστου τὸ ταχθέν (2). Qua

(1) De quo Romanorum erano vide Salmasium, (de Usuris C. 3. p. 40. sqq.) docentem, eos qui quid ad res alterius reparandas afferant, non semper pecuniam dedisse, sed plerumque contulisse materias, quae aedificio lapso restituendo inservirent, uti *marmora*, *caementum*, *alia*. — Cf. Juvenalis l. l. vs. 215. sqq.; qui vs. 216. omnia uno nomine *impensas* vocat, cum ea, quae aedium structurae essent idonea, tum ea, quibus aedes ornarentur. (2) Vid. p. 1264. Tom. II. R.

de re concilio habito, populus in sumtum concessisse videtur (1).

Neque enim id fieri tantum solebat, ut funus eorum, qui de republica bene meriti fuissent, duceretur, verum etiam ut in aeternam eorum memoriam monumenta exstruerentur et statuae ponerentur; ad quod contulerunt cum amici, tum vero etiam omnes cives, ut gratum erga defunctos ostenderent animum (2).

Haec de Romanorum collatione, quatenus ad ἔρανον Graecorum accedit, dicta sunto. Plura vero de Romanis persequi non sinit scribendi consilium. Quare in hisce desinamus.

---

(1) Cf. Nepos. in v. Epaminondae C. 3. (2) Cf. Salm. de Usuris C. 3. p. 39.

OCT 9 1916

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 2. vs. 2. (in not.) Semel notandum fuerat, locum de voce *Ἔρανος* et similibus in Thes. Stephan. Edit. Angl. reperiri in Addendis. Vol. IX. p. 11057. sqq.

» 10. » 28. *collectio* leg. *collecta*

» 12. » 1. (in not.) L. VIII. c. 9. *leg.* L. VIII. c. 11.

» 19. » 26. moneta; *add. in not.* De annulorum apud Veteres usu conferri meretur Casaubonus in Animadvers. in Athenaeum Lib. III. c. 31. p. 140. sqq.

» 20. » 4. juvassent symposiarchae *leg.* juvissent symposiarcham

» 35. » 16. *ἑταιρεῖαι leg. ἑταιρεῖαι*

» 37. » 15. (in not.) p 146. *leg.* p. 116.

» 46. » 4. (in not.) De *agapis* operae pretium erit contulisse praeclaram Commentationem Viri Clar. N. C. Kist, vernaculâ linguâ conscriptam: Over de Christelijke Kerk op Aarde enz. Harlemi 1830. a Societate Teylerianâ aureo praemio ornatam, p. 128. sq. in not., ubi merito laudatur Viri Cl. W. A. van Hengel, Egregii S. Scripturae Interpretis, Disp. de Bonorum Communione, p. 39. sq. *agaparum* originem a verbis Jesu Luc. XIV. 13. repetentis.

» 55. » ult. (in not.) P. II. p. 362. *leg.* P. I. p. 362.

» 65. » 3. *προστά[του· leg. προστά[του·*

» 70. » 18. *κἀκεῖνοι leg. κἀκεῖνοι*

» 82. » 24. promississent, *leg.* promisisent,

» 84. » 28. referi *leg.* referri

THESES.

I.

Convivia, quae Graeci adolescentuli, simul ac excessissent ex ephebis, inire solebant, quae *de symbolis* vocat Terentius, a veteribus conviviis, qualia apud Homerum ἔρανοι vocabantur, repetenda mihi videntur.

II.

Convivia illa Terentiana pecuniâ datâ celebrari solita contendimus.

III.

Multum tamen ea convivia ab iis, quae eranistae celebrabant, absunt.

IV.

Errasse igitur mihi videtur Eustathius in Scholiis in Homeri Odyss. *A.* vs. 226, annotans ἐρανιστὰς esse τοὺς ἐξ ἐράνων, ὅ ἐστι συμβολῶν, συνδειπνοῦντας.

V.

Sodalitiis convivia solutiora illa quidem, sed caeteroquin ad *erani* normam exacta, celebrantibus, cum collegiis eranisticis affinitatem intercedere contendo.



THESES.

VI.

Praefectus collegii eranistarum, ἐρανάρχης dictus, id quod arcae societatis deësset, de suo supplere non tenebatur.

VII.

Judicia eranistica (ἐρανικαὶ δίκαι) non, nisi ad corpora publicae utilitatis et communis quaestus gratia instituta, pertinebant.

VIII.

Egregie falluntur ii, qui collegia eranistica eo consilio, ut amici egeni ex arcâ communi sublevarentur, a Graecis instituta contendant.

IX.

Eranus in amicum egenum, velut precario collatus, non est reddendus, nisi ille amicus lapsas opes restituerit.

X.

Eranorum in *ordinaria* et *extraordinaria* divisionem non esse admittendam censeo.

XI.

Recte Suetonius in Vitâ Caesaris, C. XX, docet, Caesarem in primo consulatu primum instituisse, ut acta Senatus et Populi diurna conficerentur et publicarentur.

XII.

Utique facimus cum Wyttenbachio, Viro Clarissimo, in *Lectionibus Quinque cet.*, p. 5, dicente: »Sunt enim res haud paucae ita in promtu expositae,

»ut ipsa natura quasi manu homines ad earum co»gnitionem deducat. Unde saepius mirari me subiit »nonnullorum incogitantiam, qui plerarumque re»rum notionumque inventionem suis quamque ac »certis populis veluti propriam tribuunt."

XIII.

In Platonis Symposio, p. 212, C, leguntur haec: *Εἰπόντος δὲ ταῦτα τοῦ Σωκράτους, τοὺς μὲν ἐπαινεῖν, τὸν δὲ Ἀριστοφάνη λέγειν τι ἐπιχειρεῖν, ὅτι ἐμνήσθη αὐτοῦ λέγων ὁ Σωκράτης περὶ τοῦ λόγου· καὶ ἐξαίφνης τὴν αὔλειον θύραν κρουομένην πολὺν ψόφον παρασχεῖν ὡς κωμαστῶν, καὶ αὐλητρίδος φωνὴν ἀκούειν. κ. τ. λ.* Ubi ex Optimis Codd. recte legimus *κρουομένην* pro vulg. *κροτουμένην*. Porro *παρασχεῖν ὡς κωμαστῶν, καὶ αὐλητρίδος*, mutatâ interpunctione, pro *παρασχεῖν, ὡς κωμαστῶν καὶ αὐλητρίδος*, cum Stallbaumio scribendum contendimus.

XIV.

Nemo bonus JCtus evadere potest, nisi Literarum Graecarum cognitionem teneat.